28

B. F.

ANATOMIA LIENIS,

Quam

ſuffragante

Illuſtri & gratioſiſſimo Medicorum collegio

in

Inclytâ hâc propter Salam Academiâ,

MODERATORE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. JOHANN-ARNOLDO FRIDERICI, Phil. & Medicinæ Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Prof. Publ. famigeratiſſimo, Sereniſſimi Ducis Saxo-Altenburgici Medico Provinciali feliciſſimo,

Dn. Patrono, Promotore, Præceptore, ac Hoſpite; omni cultu & obſervantiâ ætatem proſequendo,

publicæ benevolæque ſymmiſtarum excuſſioni ſubjicit

AUTOR-RESPONDENS

JOHANNES Ußleber/

ALTENBURGO-MISNICUS.

Ad diem April. A. O. R. cIↃ IↃc LXIX.

Horis locoque ſolemnibus.

JENÆ,

ÆRE KREBSIANO.

ΔΕΟΣ ΔΕΟΣ·

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

ANatomiæ quanta ſit neceſſitas, quantave dignitas, ac præſtantia, vel ex illo *Ammonii* patet: ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει.

Adeò ſcilicet verum eſt, quicquid eſt effati, ut Jovem lapidem jurem, ex ipſius Apollinis Delphici Tripode dictum eſſe.

Quod enim oculus in homine, id Anatomia in cognoſcendis morbis præſtat. Hujus beneficio denſiſſimæ ignorantiæ Medicæ abiguntur caligines, ita, ut non immeritò OCULUS MEDICINÆ eruditioribus audiat.

Hic Oculus niſi præluceat, de morbo palmam, de opere gloriam ſibi quis promittet?

ANATOME *Dux* eſt fidelis ac certus in inquirendis artificioſæ microcoſmi machinæ arcanis. *Lux* eſt præfulgens, ad oſtendendum conſenſum & amicam æquè, ac inimicam, pro naturæ conditione, ſympathiam. *Lux* eſt reſplendens, ad accuratam morborum dignotionem ac diverſitatem plurimum conferens.

Hinc non immeritò in medicum *Anatomes ignarum*, ſapientis illius requiſitum cadit: OCULO INDIGET.

Hujus qui benè perſpecta explorataque non habet omnia, affectus corporis nunquam tollet, laterem lavabit, omnia plena erunt tenebrarum.

Morborum igitur cognitio, *Anatome* duce & luce adquiſita, magni eſt momenti, neque parvi à nobis habenda.

Nam, qui optimè cognoſcit, ſanitatis vel morbi in partibus cauſas, ille optimè curabit earum integritatem vel errorem. Facilè in ſtatu naturali corpus conſervabit, vel in præternatura-

ſi, prout poſſibile, ad perfectionem priſtinam revocabit, gemino ſuo officio ſatisfacturus Medicus. Efficientes enim utriusque cauſæ pro diverſitate partium non poſſunt non diverſimodè operari, adeoque vel accidentia naturalia, vel præternaturalia omnis generis pro ipſarum diſpoſitione variare.

Non mirum inde, quod *Anatomes* oſores, ignorantiæ partium corporis tenebris vallati, neſciant in curando quid agant, quove ſe vertant. Nunc *pleuriticum* cenſeant, qui *inflammatione hepatis* laborat: nunc *calculoſum*, qui quoad *meſenterium* præcipuè *obſtructus*: nunc *ſyncopticam* quæ *hyſterica*, judicent. Juxta erroneam cognitionem incongruam inſtituant curationem, ſicque neceſſariâ quaſi crudelitate plures defunctorum catervæ ante tempus adſociantes, feliciter ad vitam felicem curent. Exempla odioſa ſunt, & quotidiana *experientia* ſimilia ſatis adhuc ſuggerit, adducit tamen non nulla Magnificus D. D. Rolfinc. a.)

(a.) *l.1. Diſſert. Anatom c.1.*

Hæc omnia, ut & opprobria, quæ incomparabili Apollineæ arti ob errorem prædictorum innoxiè affricantur, quò evitet ſenſatus artis conſecraneus, audiat *Avicennam* b.) jubar illud Arabum ſplendidiſſimum: *Oportet*, ajentem *illum, qui vult ægritudines cognoſcere, quæ in membris ſunt, Anatomes cognitionem habere.* Sequatur Medicinæ parentem *Magnum Coum*, c.) aſſerentem: οὐκ ἐστι δύνατον ἰητρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδεν, ὅπως ἐγένετο πρῶτον ὁ ἄνθρωπος, καὶ ὅπως συνεπάγη.

(b.) *l.1. fen 2. tract.5. c.1.*

(c.) *περὶ τῆς ἰητρικῆς.*

Imò, æquè magno habeat in æſtimio, ac nauclerus magnetem cum acû nauticâ, miles gladium, architectus ulnam. Sic hoc Ariadnæo filo duce per recurvos illos morborum corporis noſtri labyrinthos meare, occluſa reſerare, inculpatam praxin exercere, ſalvosque & incolumes invalidos reddere valebit hæc conſilia intrepidè ſecutus.

Hoc altius in mente meâ perpendens, ne & ego olim adversâ fortunâ utar, Anatomicis hactenus invigilavi, utque ingenii vires periclitarer, LIENEM, fontem illum malorum noſtri corporis ferè omnium, ſi malè habet, juxta methodum Anatomicam præcipuè examinandum mihi ſumſi. Dignus enim eſt, qui diſputationis ſub incudem vocetur.

Alexan-

Alexander M. ad Perſicum bellum proficiſcens XII. aras in belli vota ſtatuit. Et priusquam ulla navis littore excederet, hoſtias cædit, victoriam bello petens: cumque jam in continentem terram delati eſſent, hoſtias iterum cædit, ne ſe regem illæ terræ invitæ capiant, deprecatus. (d.)

Nunc, cum & nobis à DIs immortalibus agendi primordia ſint capienda, ad Te quoque DEUS alme, accedimus, aras in belli hujus literarii vota ſtatuimus, calidiſſimas preces immolamus, hocque ut bonum, felix, fauſtum fortunatumque nobis eveniat, ſupplices oramus.

Duram provinciam *ſuſcepimus*, *adeſto* igitur divino Tuo auxilio; adjuva nos; onus ſubleva, & benedictionis Tuæ radios in nos effunde. Spiritum S. qui nos ducat, rectumque hunc curſum peragat, nobis immitte, utque omnia ſupra vota noſtra fluant clementiſſimè concede.

CAPUT PRIMUM

LIENIS definitionem nominalem & realem aggreditur.

LIEN [quod olim etiam LIENIS in caſu recto dicebatur, ut ſæpius apud *Hippocratem* legere licet; confer *Galeott. Mart.* (α.)] ortum ſuum unde ducat, apud Autores, conquerente *Adr. Spigelio* (β.) altum eſt ſilentium. Varias tamen variorum hinc inde invenias derivationes.

B. *Mœbius* (γ) à λαιὸς, lævus, ſiniſter, quia in ſiniſtro hypochondrio ſitus ſit deduci poſſe, conjecturam facit, & quidem non abſurdè. *Alſtedius* (δ.) à *lingvâ*, quum juxta *Divinum Senem* lingvæ bubulæ, ſecundum *Ariſtotelem* vero ſuis figuram repræſentet, (ε.) vel, ut alii volunt, quod lambendo quaſi malignos humores avidè ingurgitet, omnesque detergendo abſumat. Hinc *Meletius* (ζ.) σπλῆνα dicit, quia παρὰ σπῆλα, ſordes attrahat. Sunt etiam, qui à *ligando*, alii, qui à *liberando* dictum putant. Non adeò inconcinne, utrumque ſuo innititur fundamento Officio enim ſuo ſi rite fungatur *lien*, plures morbi è corpore noſtro exulent; ſin minus, graviſſimis obnoxii erimus

(d.) *Juſtin. l. XI. c. 5.*

(α.) *de homine interno l. 2. p. 193.*

(β.) *l. 8. humani corpor. Fabr. c. 4.*

(γ.) *in Fundam. Phyſiolog. c. 16. §. 1.*

(δ.) *l. 4. Encyclop.*

(ε.) *Alb. Kyperus Anthropolog. c. 9. §. 9.*

(ζ.) *l. 3. de natura hominis.*

(η.) *in lexico Philologico-Etymol. Voce Lien.*

mus malis. *Matth. Martinius* η.) à λεῖος, lenis, mollis, quia pars infimi ventris molliſſima, dictum putat. Germani noſtri die Miltz appellant, unde hoc veniat, ex dictis nunc facile liquet. Galli *Ratte, Rattelle:* Itali *la Milza, il ſplene* nominant.

θ) *l. 4. de re med.*
ι) *l. c.*
κ) *l. 1. Theatr. Anatom. c. 43.*
λ) *l. c.*
μ) *Exerc. Anat. l. 1. ſect. 2. c. 24. p. 413.*
ν) *l. 11. Origin. c. 1.*
ξ) *l. c.*
ο) *3. de part. anim. 7.*
π) *l. c.*

SPLEN Græcorum illo σπλὴν latina civitate donato etiam dicitur: *Celſo* θ) & *Plin.* ἀπὸ τοῦ σπλάγχνου h. e. viſcere, quod intus ſcilicet lateat. *C. Hoffmannus* ι) ἀπὸ τοῦ σπᾶν λίαν accerſere conatur. *C. Bauhin.* κ) ἀπὸ τοῦ εἰς ἑαυτὸν ἐπισπᾶσθαι τὰ φαυλισθέντα τῶν ὑγρῶν, quod in ſe ipſum attrahat malignos (ut creditur) humores, dici mavult, cum quo & *Alb. Kyperus* λ) facit. *Fernel.* & *Riolan.* à *ſupplendo*; rectiùs judicio *Nobiliſſ. Schenckii* μ) *Iſidorus* ν) à *ſupplemento*, quod ſiniſtri lateris concavum ſuppleat, derivat. *Martinius* ξ) à σιπαλὰν ἀκάθαρτον εἰ δεχθέςατον, nomenclaturam petit. Eſt enim humorum ex hepate effluentium receptaculum, ſterquilinium qſ. & fimetum. Vel à σπᾶν & λέγειν, quod σπᾶ λύματα; vel ἀπὸ τοῦ ἐπισπᾶν, ut alludit ad hanc originem *Philoſophus* ο.) Alii à σπληδὸς, cinis, quia ad hujus colorem in adultis plerumque abit: *ſplen* qſ. σπιλὴν à σπῖλος, macula, nota, vitiligo, quia colligere creditur ſanguinis τὰ σπῖλα, i. e. feces, *Alb. Kyperus* π) dictum putat.

ϱ) *c. 157.*
σ) *l. c.*
τ) *l. de uſu Lienis c. 1. p. 2.*
υ) *l. 4. Lect. Antiq. c. 18.*

Sæpè plurale eſt apud *Cornel. Celſum* variis in locis. Sic quoque *Cato* ϱ.) Si *Lienes* turgent &c. ut notat *Martinius* σ.) Similiter SPLENES *Galenus* dixit, & plerumque morbos & intumeſcentiæ *lienis* metonymicè eò indicantur, uti invenimus, teſte *C. Hoffmanno* τ.) Interdum etiam ſplenia h. e. emplaſtra ſignificare apud *Galen*: autor eſt *Cœl. Rhodigin.* (υ.)

Dictum hoc *ſplenium* à *ſplene* denominatum eſt, eſtque genus aliquod emplaſtri à *lienis* formâ nomenclaturam adeptum, ex panno, vel aliâ materiâ confectum, quod fronti, interdum etiam mento aliisque partibus imponi ſolet, ſive ad affectus, arcendumque dolorem, ſive ad effugiendam nimiam lucem, ſive ut frons nivea nitidaque ſervetur à ſolis calore, quô fine delicatiores fœmellæ geſtare aſſolent. Exempla nobis ſuppeditat *Martial: l. 2.* qvando ita canit:

Et numeroſa linunt ſtellantem *ſplenia* frontem.
Ignoras quis ſit? *ſplenia* tolle, leges.

Ad

Ad quæ *Corn. Wittelius*: (φ) *Splenium Martial:* appellat panniculum medicamentis perfuſum, qui ſupra inuſtionem literæ impoſitus erat ad medelam & contectionem uſtionis. *Martial.* alio loco hoc declarat, cum fingens ſe ægrotare in mento, ſplenium adalligatum tulit, ne cauſam haberet baſiandi Philenin fellatricem. Sic enim ait: φ.) *Syllogi 3. in Georg. Merul. c. 22.* *l. 10.*

Cur ſpleniato ſæpe prodeam mento.

Et *Plinius* cum de remediis ad oculos cruore ſuffuſos ſcribit, quem Georgius nunc intellexiſſe fatebitur, *ſplenium* pro medicamento ipſo accipit, cum ait *ſuper imponi oportet ſplenium è melle decoctum, lanamque ſuccidam ex oleo & vino.* Hæc ille. Sequitur nunc *l. 29.*

HOMONYMIA. SPLEN ſumitur (1.) pro eo, quod *ſpleni* eſt ſimile, ut plagula, pannus & pulvillus, qui fracturis imponitur *ſplenis* figurâ. (2.) idem, ac σπλένιον ſignificat χ.) Ita *Galen.* ψ) ὅθεν εἰς φρουρὰν, ἐπικουρίαν αὐτοῖς ὁ Ἱπποκράτης ἐξεῦρε τὴν τῶν σπληνῶν ἐπιβολήν. Ibid. Σπλῆνα σκεπαρνηδὸν, ὡς Ἱπποκράτης ἐκέλευσε, περιβάλλειν. *Goræus* ω) & *H. Steph.* α) Ita *Hippocrat.* σπλῆνα dicit in ſuis ſcriptis 1. dolorem & obſtructionem *lienis*, 2. tumorem & ita dictam effloreſcentiam. (3) Capreolus lebeti ſubjectus etiam *ſplen* dicitur β) Homonymiam excipit. χ) *H. Steph. theſ. græc. ling. voce* σπλένιον. ψ) *l. 6. m. m.* ω) *Definit. Med. Lit.* Σ. *v.* Σπλὴν. α) *l. c. v.* Σπλὴν. β) *Cœl. Rhodig. l. c.*

SYNONYMIA. Hoc modo *Ariſtoteli* γ) νόθον ἧπαρ, hepar ſpurium audit; ideo, quod idem, licet in parte ignobiliori, faciat, ac hepar, ut *C. Hoffmannus* δ) explicat: item ἀντίζυγος τοῦ ἥπατος ε) non tantum propter locum, ſed & propter officium. *Hippocrati* πηγὴ ὕδατος, *fons aquæ. Platoni expreſſum hepatis ſimulacrum*: aliis *hepar vicarium*, quod ſæpius ejus vices ſuſtineat: *Lindano* σπλάγχνον αἱματῶδες; *Viſcus linguoſum* etiam, nempe *à figura*: *Platoni* ζ) *Aretæo* & *Gal.* η) ἐκμαγεῖον τοῦ ἥπατος ſalutatur. Ubi τὸ ἐκμαγεῖον varie reddunt Autores: *Budæus ſimulachrum* ſive *imaginem hepatis*, *Calaber* per *expurgatorium* vertit. Omnium optimè, ut ſolet, *Thomas Reineſius* θ) *peniculum, ſpongiam extergentem* reddidit. Nam ἐκμάττειν eſt *abſtergere, detergere à ſanguine, & ad ſe rapere crudum fœculentioremve ſanguinem, mundareque ceu ſcopus naturæ membra nobilia* γ) *3. part. 7.* δ) *l. c. c. 4. p. 27.* ε) *l. 3. part. anim. c. 4.* ζ) *in Timæo.* η) *l. 4. de uſu part. c. 7.* θ) *l. 3. Variar. Lection. c. 5. p. 433.*

lia à facibus & ſuperfluitatibus; ut ſcopa domum, uti ex *Arnoldo de Villanova*, *Georg. Balthaſ. Metzger.* ι) refert.

ι) *Diſſert. de Liene §. 1.*

Nominali definitione ita ſaciati ad realem viſceris deſcriptionem ſeu latè dictam accedimus DEFINITIONEM, quam ita exhibemus:

LIEN *eſt viſcus conſtitutionis organicæ, latum, in extremitatibus rotundiuſculum, in ſiniſtro hypochondrio naturaliter ſitum, cum multis partibus ob connexum ac vaſorum communionem conſentiens, ſanguinem impuriorem vi caloris inſitæq; conſtitutionis alterans, depurans, parteſq; ejus heterogeneas ita ſegregans, ut per loca convenientia propelli queant.*

1. *Viſcus* dicimus ſeu partem viſceroſam, ut à partibus carnoſis, muſculoſis, oſſeis aliisque, quæ ad viſcera non ſpectant, diſtinguatur.

2. *Organicæ eſt conſtitutionis*, non ſimilaris, ex variis ſiquidem ſimilaribus primi ac ſecundi ordinis compoſitum ſpectamus.

Reliqua verba *ſitum*, *connexionem* ac *conſenſum*, *uſum & actionem* detegunt, quæ *in ſequentibus capitibus* fuſius dilucidata videbimus.

CAPUT SECUNDUM
ſitum, connexionem & conſenſum examinat.

ABſolutâ ὀνομασία ad rem ipſam nos conferimus, ubi primò omnium ſitus connexio & exinde ortus conſenſus hîc ſeſe nobis ſiſtunt.

Salveto igitur viſcus cum aliis utiliſſimum. Aperi nobis penetralia tua arcana! Admitte, ut paulo accuratiorem cognitionem nobis acquirere poſſimus! Jam enim in procinctu ſumus, ut ad contemplationem tui nos accingamus.

SITUS igitur eſt *lien* in hypochondriacæ infimi ventris regionis latere ſiniſtro (quod tamen, ſi naturaliter ſe habet, omne, ut jecur, non implet) ſub diaphragmate, inter coſtas & ventriculum, è regione hepatis. Unde *Hippocrat.* α) ἀριστερὸν per pleonaſmum

α) *6. Epi- ſtem.*

naſmum dicitur: *Ariſtoteli* β) *ἀντίζυγος τοῦ ἥπατος*: *Platoni* γ) *ἥπατος ἐκμαγεῖον* ſalutatur.

β) 3. *de part. anim. c.* 4.
γ) *l. cit.*

Collocatum vero viſcus hoc (1.) in infimo ventre, ut in eodem cum cœteris nutritioni dicatis membris reſideret, *utque ventriculus*, verba ſunt *D. Metzgeri* δ) *ceu lebes circumjectis prunis, inter hæc duo viſcera, hepar & lienem incaleſceret felicius, alterum à ſiniſtris, alterum à dextris, & hoc quidem cum toti ventriculo tegendo non ſit, circa ejus fundum, ubi major ſedet ingeſtorum moles calorq; vegetior requiritur, adſtare debuére.* (2.) in hypochondrio ſiniſtro, ut tanquam *hepar ſiniſtrum* ſuperiori cederet.

δ) *Differt. ſupra citata* §. 4.

Non tamen ita intelligendum, quaſi planè jecori è diametro lien ſit oppoſitus: in nonnullis enim altiori, in aliis humiliori ſede gaudet. Plerumque autem depreſſior eſt hepate, *quo fonti ſuo*, ut *Nobil. Dn. D. Schenck.* ε) ait, *propior eſſet, arteriæ nimirum ſplenicæ, tum ventriculi fundo veluti carbo igneus eſſet vicinior.* Ita Collegium Amſtelodam. privatum Anatomicum in lupo lucio *lienem* ad finem ventriculi & initium duodeni ad pylorum hærentem in inferiori abdominis parte, ita ut non è directo hepatis, ſed potius in inferiori loco, quam hepar propenderet, obſervavit, ut teſtatur *in Obſerv. Anat. ſelect.* In omnibus poſteriori parti, tergo ſcilicet, eſt propinquior, quandoquidem coſtis nothis, quæ ipſi tutelæ ſunt, gibba parte innititur.

ε) *in Schola partiũ ſect. tertia p.* 2. *c.* 8. *p.* 103.

Falſum eſt, ut quidam, qui ſibi ſoli ſapere videntur, ſomniant, quod exterius manu deprehendi queat in ſtatu ac ſitu naturali. Latet ſiquidem ſub coſtis ſpuriis, quarum ultimam ſæpè ne quidem attingit, docentibus multis

Hic ſitus naturalis vitiatur haut rarò. Talem ſitum in muliere quadam à quartanâ malè curatâ profectum *citatus Dn. D. Schenck.* ζ) deprehendit. In aliâ ad hypogaſtria prolapſum, & ſupra uterum per biennium geſtatum *Riolan.* η) notavit.

ζ) *l.* 1. *Exerc. Anat. ſect.* 2. *c.* 24.
η) *in Antropogr.*

Idem de nobili viro, in quo etiam ad hypogaſtria delapſus fuit *Cabrolius* memorat. Confer *Aretæum* θ).

θ) *l.* 1. *de cauſ. ſignorum & diuturn. affect. c.* 14. & 16.

Lindanus & *Spigelius* verſus umbilicum & anteriora propulſum annotarunt.

Situm ſi immutat, dupliciter, docente *Adr. Spigel.* ι) fieri poteſt, vel *non-naturaliter*, vel *præternaturaliter*.

ι) *l.* 8. *corporis human. Fabr. c.* 5.

B 1. *Non-*

1. *Non-naturaliter* quando ſe habet ſitus, potiſſimum à cauſis naturæ vim nullam facientibus, evenit, idque fit, quando e.g. ſedemus, aut decumbimus, quod tamen exiguum admodum.

2. *Præternaturaliter*, quod præcipuè, *Eodem* monente, ab humorum affluxu laxatis vel ruptis ligamentis, aut ab ingenti aliquo tumore contingit.

Sæpius hepatis locum occupat, ut multæ hiſtoriæ teſtantur. *Ariſtoteles* κ) lienem ita locatum in dextro ſcilicet latere, hepar verò in ſiniſtro in animalibus deprehendit. Quod quidem cum ipſo prodigioſum dicit *Plinius* λ.) Simile *Spigelius* μ) de cuniculo affirmat.

Mutatum hunc ſitum in homine *Corn. Gemma* ν) *Fabr. ab Aquapendente*, *Leonh. Blaſius* ξ) *Iſaac. Cattierius* ο) *Thomas Barthol.* π) *J. Mentelius* ρ) *Dominic. Panarol.* σ) obſervarunt.

Idem obſervatum Romæ 1643. Anno 1650. in ſicario Pariſienſi, *lien* etiam ſitum cum hepate commutavit vergente cordis cuſpide ad dextram thoracis partem. *Mich. Watſon.* τ) ex *Th. Barthol.* υ.)

H. à Monichen φ) inter hepar & ventriculum latitantem reperit. In ariete permutationem hanc lanius quidam Piſis offendit ap. *Joh. Talenton.* χ.)

Veſalius permutatum hunc ſitum cum actione *lienis* cum hepate cōmuni excuſare conatur. Hic enim quod jecoris provinciâ perfungatur ipſa natura formatrix admonet, quæ nonnunquam ἐλευθερίζουσι (*Reuſnerus* ψ) monet.

Imò ſi de dignitate utriusque viſceris lis eſſet, *lien* facilè palmam, quam eidem jam ultrò decrevit *Petr. Joh. Faber* ω) hepati planè præriperet, vel ſaltim dubiam adhuc faceret, judicio *Metzgeri* α.)

CONNECTITUR diverſis partibus, quibus, ne decidat, firmiſſimè adhæret, iisque vel *mediatè*, vel *immediatè*, monente *C. Hoffmann* β) & ex hoc *Lindano* γ). *Præcipuè* alligatur *peritonæo* & *omento*; *peritonæo* mediante tunicâ, & *omento* intertextis membranulis perquam tenuibus: *mediatè* cohæret *lumbis* peritonæi beneficio, *ventriculo* vero per venas & ἐπίπλοον.

Elatiori parte copulatur in homine per peritonæum diaphragmati

κ) 4 de gen. anim. 4.
λ) Hiſt. natur. l. 11. c. 37.
μ) l. c.
ν) l. 1. Coſmocrit. c. 6. & l. 2 Cyclogn. p. 75.
ξ) Commentar. in Veſling.
ο) Obſerv. Med. 17.
π) Centur. 2. hiſt. anat. 29.
ρ) Epiſt. ad Pecquet.
σ) Pentecoſt. 5 Obſerv. med. 7.
τ) in unione ſapient. P. 2. ſect. 3. c. 5.
υ) Hiſt. Anat. C. 2. hiſt. 29.
φ) Cent. 2. Epiſt. Med.
χ) l 3 de recondit. rerum c. 20.
ψ) de Scorbuto Exerc. 4. p. 201.
ω) l 2. univ. ſapient c. 7.
α) cit. Diſſert. § 4.
β) l. de Uſu Lien. c. 1. p 9.
γ) l. 1. Phyſ. c. 5. art. 2. §. 31.

phragmati ne decidat; in canibus id nunquam fit. *Bauhin.* δ.)

δ) *Theatr. Anat. l. 1. c. 43.*

Rarius hoc accidit intercedentibus ſcl. quibusdam Δια-φύσεσι, pediculis. Et ſi accidit, ſuperficialiter id duntaxat fit ut *Hoffmannus* ε) dicit, ne ejus motum impediat. Unde ſcirrho laborantes plerumque de difficultate ſpirandi conqueruntur, ideò, quia diaphragma *lienis* mole premitur & deorſum tendit. Exempla nobis ſuggerunt *Th. Barth.* ζ) *Piſo* θ) *Fabr. Hildan.* η)

ε) *l. c.*

ζ) *Hiſtor. Anat. c. 1. hiſtor. 80.*

η) *Obſerv. 43.*

θ) *C. 2. Obſ. 44.*

Renis ſiniſtri membranæ externæ exiguis gracilibusque ſatis fibris inferiori parte, ne corruat, inſeritur. Iisdem etiam coſtis ſpuriis combinatur.

Simâ parte ſuperiori omenti membranæ nectitur; dein ope vaſorum, inter quæ *vas breve* decantatiſſimum eſt, anterius ventriculo: convexâ autem dorſo.

G. Mœbius ι) in capreolis lienem per membranulam exilem ventriculo annatum ſe vidiſſe teſtatur. De gallinis idem refert *Nobiliſſ. Schenck.* κ) & *Helmont.* λ)

ι) *Fundam: phyſiol. c. 16. §. 9.*

κ) *Exerc. Anat. l. c. p. 415.*

λ) *Tr. jus Duumvir.*

Riolan. μ) vaſis addit *arterias*, quia vitioſos vapores è *liene* ad cor, inteſtina & renes transferrent.

μ) *l. 2. Enchirid. Anat. c. 26.*

Cum *pancreate* an etiam naturaliter cohæreat, ſi disquirimus? Reſpondemus negando cum Anatomicorum primiceriis: præternaturaliter tamen ſubſtantiam hujus & lienis arctè conjunctam obſervavimus, in nuper ab *Excell. Dn. Præſide* diſſecto cadavere fœmineo, ubi propè inſertionem vaſis brevis, lien cum pancreatis portione validiſſimè conjunctum fuit.

Hepati non rarò adhærere, multæ nos edocent hiſtoriæ. Sufficiant nunc ſaltem ſequentes.

Joachim. Tanctius, P. P. olim Lipſienſis in cadavere cujusdam ſuſpenſi tale quid vidit, ut ipſe ſcribit ad *Gr. Horſt:* in epiſt. quadâm, quam inſertam habemus *ejusd. oper.* ν.)

ν) *T. 1. p. 131.*

Huic adde *Henr. Eyſonium* ξ) qui in cadavere aliquo *lienem* undiquaque *hepati*, & imprimis diaphragmati adeò firmiter adnexum invenit, ut absque læſione eximi non potuerit.

ξ) *in Exercit. Med. de Obſervat. rarior. in cadavere aliquo. §. 13.*

Nonnunquam etiam *ſepto* jungitur, quod tamen *Fernel.* ο.) negat. Verum revellitur à *Th. Barth.* π) & jam *citato Eyſſonio.* ρ) Naturalem namque hanc connexionem eſſe, aſſerit,

ο) *l. 1. c. 7. Phyſiol.*

π) *in anat. reform. l. 1. c. 16.*

ρ) *l. c.*

rit, p. n. tamen aliquid aluiſſe, libens lubensque concedit ρ).

Simon Pauli ventriculum, jecur & *lienem* interventu membranarum & pingvedinis cohærentia memorat apud *Th. Barth.* σ) *Veſal*: τ).

ρ) Hiſt. Anat. C. 3. obſerv. 6.

τ) Fabr. corp. hum. l. 5. c. 9.

Circulationis lege per *ramum ſplenicum* COMMUNICAT cum variis corporis partibus, etiam remotiſſimis. Hic enim ſangvinem vel purum, vel pro conditione *lienis* impurum recipit, dein ad cavam, & ex hâc ad hepar & cor revehit, quemadmodum aortæ mediante dicto ramo ſplenico ferè à ſingulis partibus ſangvis advehitur, qui pro conſtitutione *lienis* aut vitioſus manet, ſi talis advehitur, aut vitio *lienis* deturpatur, licet bonus tranſmiſſus fuerit. Hinc, ubi ros ille microcoſmicus officium ſuum deſerit [deſerit autem ſæpius ut ſummus artis gratioſiſſimæ dictator υ) teſtatur] nullum locum in corpore noſtro à crudelitate hujus viſceris in corpus noſtrum ſævientis vacantem invenias: adeò quidem, ut ſine ullâ injuria *fundi noſtri calamitas* nuncupari poſſit. Nam *depurandi ſuo ſangvinis munere ſi fruſtretur, inquit* Andr. Laurent. φ) *mirum eſt dictu, quam gravia inde emergant & ſuſcitentur ſymptomata.*

υ) l. 4. de morb.

φ) l. 6. Hiſt. Anat. c. 21.

Ex dictis partibus I. VENTRICULUS à vicino *liene* non benè conſtituto, afficitur. Huic ſi p. n. incumbit, ejus actionem cum appetitu proſternit, id, quod hypochondriaci maximo ſuo cum damno cotidiè experiuntur. Nonnunquam humor ita dictus melancholicus ad nigredinem tendens in *liene* reſidet, vaſa ſtimulat, & tandem inventâ viâ per vas breve p. n. apertum in ventriculum ſeſe effundit, per tranſudationem è tunicis potius, quam veram effuſionem in ipſum cavum ſtomachi, cum vas breve in hoc non terminetur manifeſto hiatu, ſed intra ventriculi tunicas potius obliteretur, ubi vel per vomitum, vel per alvum ejicitur, quod *B. Mœbius* χ) in cive quodam hujus loci ſe vidiſſe aſſerit. Hic per aliquot ſeptimanas ſingulis diebus humorem atramenti inſtar nigricantem per os rejecit, ſimul de dolore hypochondrii ſiniſtri conquerens. Confer *R. Columb.* qui ψ) de Cardinale quodam & *Barthol.* qui ω) de nobili Daniæ ſangvinem evomentem ſimiles hiſtorias referunt.

χ) Fundam. phyſ. c. 16. p. 408.

ψ) l. 15 Anat.

ω) Cent. 3. Hiſt. Anat. hiſt 36. conferVal-verdam.

2.) HEPAR, ſi ſangvis adhuc craſſior, nec ſatis defœca-

tus

tus à *liene* per circulum huic iterum redditur, varias exin noxas incurrit, obſtructiones, intemperiem, hydropem, icterum nigrum aliaque innumera ob varios ſangvinis aggreſſus ac regreſſus vix diſtinctè explicanda mala acquirit.

3.) PANCREAS, *lien* ille, elogio *Riolan.* α) *vicarius* [ideò ita dictus, judicio *B. Mœbii* β) quia affectus morbis *lienis* ſimiles quin etiam longè graviora ſymptomata incurrat,] crebriores *lienis* pœnas luere tenetur. *Liene* ſiquidem *affecto*, ait *Highmorus* γ) *pancreas vix, aut nunquam integrum evaſit.* Facit hîc nobiſcum *Th. Barthol.* δ) quando ultimum pancreatis uſum in eo ponit, *ut in morbidis & melancholicis corporibus affecti lienis vice fungatur,* quod quidem inſignis Hiſtorici *J. Aug. Thuani* & *Principis Luxenburgiæ* exemplis *Riolan.* & *Conringius* ε) comprobant. Ex novis præterea Sylvianis ac Græfianis ſuppoſitis, de pancreatis ejusque ſucci uſu & noxa præſuppoſitis, uberius hic conſenſus innoteſcit. Neque

4.) RENIBUS parcit, dum ☿ & acida ſalia volatilia à *liene* non benè admodum præparata in his ſtagnant, & tunc, quia craſſiores adhuc ſunt ejusmodi ſcoriæ in ſangvine, excerni nequeunt, indeque plurimorum malorum autores nobis exiſtunt, quod etiam Eruditi vel ad unum omnes uno conſenſu, inter quos quoque *Nobiliſſ. atq; Experientiſſimus Mœbius*, νυν ἐν ἁγίοις, ζ) approbant. Interdum urinæ nigricantes, atramento ſimiſimæ excernuntur, de quibus conſule, ſi lubet *Hippocrat.* η) *Zac. Luſitan.* θ) *J. Rhodium.* ι)

5.) UTERUM, clauſis *lienis* vaſis craſſior ac fœculentior ſangvis contaminat, colluviem non raro, præſertim ſi menſtrua ceſſant, in aortam reſpuit, purgationem referente *P. Foreſto*, κ) menſtruam ſufflaminat, virgines & mulierculas fœdiſſimis obducit coloribus, aſpectuque minus gratas reddit.

6.) COR ipſum in conſenſum trahi, & ab ejus obſtructionibus & tumore in pectus emicare, artemque [liceat Plauti illud huc accommodare] ludicram facere, *Celeberr. Tulpius* λ) *Zacut. Luſitan.* μ) & *G. Mœbius* ν) confirmant. Imò, ut Hiſtoriæ Medicæ teſtatum eunt,

7.) TOTUM CAPUT *ac* CEREBRUM horrendos *lienis* inſultus patiuntur,

α) *Anthropograph. l. 2. c. 6.*
β) *in Fundam. Phyſ. c. 16. p. 408.*
γ) *Diſquiſit. Anatom. c. de pancreate.*
δ) *l. 1. Anat. reformat. c. 13.*
ε) *l. de generat. & motu ſangvinis c. 6.*
ζ) *l. c.*
η) *in hiſt. Herophontis l. 1. Epidem ſ. 3. ægrot. 3. & Nicodemi. l. 3. Epidem ſ. 3. ægr. 10.*
θ) *l. 2. Med. Pr. Hiſt. 132.*
ι) *c. 3. Obſ. Med. 31.*
κ) *l. 28. Obſ. 9.*
λ) *l. 2. Obſerv. c. 19.*
μ) *De med. princip. hiſt. Obſ. 9.*
ν) *Fundam. phyſiol. c. 16. §. 35. p. 407.*

patiuntur. Modum, quô nocere poſſit nobiliſſimis horum actionibus, accuratè explicat accuratisſimus *D. D. Schenckius* ξ) Nimirum *craſſus & à fecibus ſuis in liene non ſatis depuratus ſangvis per venas cordi remiſſus, & per arterias delatus in cerebrum, ibiq; non ritè in venoſos ductus tranſumtus, ſed circa ἀναστομώσεις ſtagnans, ſpiritus inquinat, & eorum puritatem contaminando, naturalemq; temperiem alterando melancholiam excitat* φοβῷ καὶ δυσθυμίῃ, *triſtitiâ & metu,* ἄνευ φανερῆς αἰτίας, *absq; manifeſtâ causâ terrificam.*

HIS velut ærumnarum cumulus accedit Epilepſia, qualem in juvene *citatus Tulpius* ο) & *Hollerius* π) vidêre; κεφαλαλγία inſuper, ὀδονταλγία, mania, vertigo, apoplexia & ſexcenta alia. Confer Medicum ultra omnem laudem poſitum, *Dan. Sennert.* ϱ)

An etiam juxta *Fr. de le Boë Sylvium* σ) per vaſa lymphatica cum aliis partibus ſit commercium, ex illis, quæ infra τ) de vaſis lymphaticis diſſeruimus, pateſcet.

Recenſitis hiſce membris, ſpurcam hanc *lienis* materiam recipientibus, quam innumera inde mala proſurgant, *infra c. ultimo de Lienis affectibus p. n.* ſum dicturus.

CAPUT TERTIUM.

quantitatem continuam ac diſcretam continet.

NAturaliter ſemper UNICUS eſt: *Philoſophus* tamen α) *Poſthius* β) *J. Caſſerius Placentinus* γ) *C. Bauhinus* δ) *Cabrolius* ε) *Dominic. de Marchettis* ζ) *Panarolus* η) *C. Gemma* θ) *Petr. Spherius* ι) geminum invenere.

Triplicem, alterum alteri ſuper impoſitum propriisque vaſis præditum, magnitudine verò ſibi invicem non reſpondentem *Fallop.* κ) *C. Bauhinus* λ) conſpexere. Quin quadruplex, rariſſimè tamen accidit, *Cæcilio Folio* μ) occurrit.

Non infrequens hoc eſſe in canibus *Fallopius* ſcribit: idem in ſue *Veſalius* non unâ vice obſervâvit.

C. Hof-

ξ) diſſert. de tribus coctionibus c. 10. §. 13.
ο) l. 1. Obſ. 9.
π) l. 1. in ſchol.
ϱ) l. 3. Prax. P. V. ſect. 1. c. 4 p. m. 524.
σ) de uſu Lienis theſ. 13.
τ) c. 5.
α) 4. de gen. anim. 4.
β) in annot. ad R. Columbum.
γ) apud J. Schenk. in Obſerv.
δ) apud C. Hoffman. de uſu Lienis c. 10. §. 5.
ε) Obſerv. 15.
ζ) Anat. c. 4.
η) Pent. 4. obſerv. 11.
θ) l. 1. c. 6. coſmocrit.
ι) apud J. Schenck. in obſerv.
κ) l. 4. Obſ. c. 8.
λ) in notis ad c. 43. l. 1. Theatr. Anat.
μ) Cent. 1. epiſt. med. Barthol. 61.

C. Hoffman υ) judicium ſuum hâc de pluralitate ferens: *υ) l. c.*
Cum unus lien, infit, *non ſufficit operi, neceſſariò fiunt plures*; ſed minus rectè. Unus enim ſi non eſſet ſufficiens, naturaliter ſemper plures fierent: jam autem unus operi illi benè eſt peragendo, nec alterius ope ad hoc indiget, ideò hoc non pro neceſſario, ſed tantum pro luſu naturæ agnoſcimus.

In lobos diviſus, referente citato *D. D. Schenckio ξ) Highmoro* eſt notatus; *Riolano* bipartitus. *ξ) Exerc. Anat. l. 1. ſect. 2. c. 4. p. 433.*

Maurit. Hoffmannus, Anatomicus ille exercitatiſſimus, in cadavere maſculino Anno 1667. circa *lienis* regionem nigricantes aliquot glaudulas magnitudine alias avellanæ nucis, alias piſi majoris deprehendit. Tam artificioſæ erant, ut quis has glandulas ſpurios *lienes* eſſe, ſanctè juraſſet. *o)* *o) in Obſervationibus programmati in anatomen dicti cadaveris ſcripto annexis*

Plane nullum *ſplenem* neminem unquam in homine obſervaſſe, *Lindanus π)* affirmare non erubeſcit, ſed [quod tamen pace tanti viri dixerim] præter experientiam & obſervationes Anatomicas. *π) l. 1. Phyſiol. c. 5. artic. 2. §. 22.*

Cadaver, in quo *lien* deſiderabatur, viſum eſt *Ariſtot. ρ)* Abfuit in puella illa *Hollerii: σ)* in juvene apud *Laurent. τ)* *ρ) 4. de gen. anim.* *σ) Obſerv. rar. 5.* *τ) l. 6. Hiſt. Anat. quæſt. 25.*

Neque *lienis*, neque epatis veſtigium apparuiſſe in *Matth. Ortelio*, mercatore Antverpienſi, *C. Bauhin υ)* nobis reliquit. *υ) in notis ad Fr. Rouſſetum de partu cæſareo.*

In defectu *lienis* duplex hepar obſervatum fuiſſe, *Fabr. ab Aquapendente*, & ex *C. Gemm. φ) Illuſtris Guern. Rolfincius χ)* monent. *φ) l. c.* *χ) diſſert. de hepate cap. 2.*

Plura non adduco inſtituti ac brevitatis rationem habiturus, ſi forte cupidus lector plura deſiderat, ad illud *Magni-Conringii opus de generatione & motu ſangvinis ψ)* illum remitto, ubi & judicium ejus de his, quæ hactenus diximus, legere licet; *monſtroſæ* autem *viſcerum conſtitutioni* ille adſcribit, *& ſicut p. n. aliàs epar, lobus aliquis pulmonum, vel alter renum deſideretur, ita etiam non raro lien*; & quidem rectiſſimè, ut *D. D. Dan. Major ω)* judicat. *ψ) c. 6.* *ω) in Chirurg. infuſ. Dub. 6. §. 18. p. 187.*

Rariſſimè tamen, planè deeſt, nec naturaliter deeſſe poteſt, præſertim in homine; ſiquidem *natura*, ut *Th. Barth. α)* ait, *abundat in ſuperfluis, nec deficit in neceſſariis*, *α) in Anat. reform. c. 16*

longe-

longeque aliud nobiliſſima æque, ac utiliſſima ejus actio nobis perſuadet.

In brutis naturâ ſine noxâ abeſſe poteſt, quod de chamæleonte *Th. Barth.* β) refert. Dantur præterea & alia animalia quibus vel propter imperfectam coctionem, quæ fermentatione non indiget, ſecundum *Ariſtot.* γ) vel propter aſſumta alimenta *lien* eſt abſumptus.

Sic pecora in agro *Cretenſi* propè *Cortinam*, quod copioſiori ſcolopendrio ſive aſplenio, quod mirâ copiâ ibi creſcit, veſcerentur, nullum *lienem* habuiſſe: illis vero, quæ propè *Criſon* paſcerentur, ſalvum ac incolumem remanſiſſe autor eſt præter *Vitruvium* δ) *Plinius* ε) *Alexand. ab Alex.* ζ)

Hoc an verum ſit aſplenium dubitant Autores, vide *Rolfincium* η) & *Guilhelm. Rovill.* θ) qui præ aliis eruditè hoc explicat.

Simile efficiunt ferratæ, ſi aſſumuntur, aquæ, & *ab his ſi non planè abſumuntur lienes, valdopere tamen imminuuntur, Benivenius* ι) dicit, idque exemplis animalium apud fabros ferrarios educatorum confirmat. Adde *C. Celſum* κ) Accedo nunc ad

MAGNITUDINEM, quæ pro ſubjectorum diverſitate ac conſtitutioue mire variat, juxta *Gal.* λ) Et, ſi *Riolan.* μ) *ac Lindano* ν) credimus, *nullum viſcus in corpore noſtro reperitur quod tàm facile creſcat, vel decreſcat, ut lien.* Homini tamen provida illa mater, natura, reſpectu cœterorum animalium [e. g. ſimiæ, cui teſte *Fernel.* ξ) perexiguus admodum, imò ferè nullus] aliarumque corporis partium effato *Veſalii*, ſatis magnum ac craſſum *lienem*, non tamen æque magnum in omnibus, conceſſit. In fœtu exiguus eſt, proportionem corporis obſervans.

Majorem nacti ſunt ii, quibus copioſior ſuccus melancholicus inhæret, obque laxam raritatem avidius illum imbibit, ſed non ſemper, quod *Veſalii* hiſtoria *infra* adducta teſtificatur.

Χαριέστατος noſter *Rolfincius* ο) *Lienem* eò majorem, ſi hepar minus; minorem autem ſi hepar majus ſit, eſſe adſtruit. Plerumque tamen minor eſt hepate, longitudine ſcilicet ferè ſex digitorum,

β) l. c.
γ) l. 2. H. A. c. 15. Plin. H. N. l. XI.
δ) l. 1. de Architecton. c. 4.
ε) l. 25. H. N. c. 5.
ζ) l. 5. dier Genital. c. 25.
η) l. 9. ſect. 3. c. 1. Ordinis ac Methodi Med. ſpecialis commentat.
θ) l. 1. hiſt. plant. c. 4. & 5.
ι) de abditis Obſ. 105.
κ) l. 4. c. 9.
λ) 6. Adminiſtr. Anat.
μ) l. 2. Enchirid. Anat. c. 26.
ν) l. 1. Phyſiol. c. 5. art. 2. §. 28.
ξ) l. 1. Phyſiol. c. 7.
ο) diſſert de Hepate ſ. 6.

digitorum, trium latitudine, & unius craſſitie, in quo plerique omnes Anatomici *Barthol.* π) *Riolan. Bauhin. Lindan.* ϱ) *Spigelius* σ) & alii conveniunt.

Excellentiſſimus *Schenckius* τ) examine ad magnitudinem hepatis inſtituto, ſexduplo eo minorem deprehendi ſcribit.

Multò majorem jecore contrà Anatomici conſpexerunt. *Fernel.* υ) *lienem* mole & magnitudine naturali jecur ſuperaſſe, ejusque ſanguificationem promoviſſe viſum eſſe, tradit.

Veſalius φ) tàm grandem vidit, ut ventriculum ſupprimeret, & ad hepar pertingens ipſi adnatus eſſet.

Andernacus & *Columbus* χ) lienem *viginti*: *Georg. Garnerus* ψ) *viginti tres*: *Cæcil. Folius* ω) *ſeptendecim*: *Th. Barth.* α) *quatuor*: *Pawius* β) *tres libras ponderantem* annotarunt.

Gr. Horſtius γ) triplo ſolitô majorem invenit: immenſæ magnitudinis *Fabr. Hildano* δ) eſt viſus.

Qui amplas venas habent, majores, *Adr. Spigelio* ε) obſervatore, obtinent *Lienes*, & hinc macilenti præ obeſis facilius lienis tumoribus ſunt obnoxii.

Variat etiam reſpectu gentis ac loci. Sic Friſiorum vulgo, ob copioſum lactis ebutyrati uſum, Lienes propter obſtructionem valdè turgere à *Lindano* ζ) accipimus.

Spigelius η) eos, qui humidas regiones incolunt, majores habere lienes adſerit, quam qui ſiccas.

Nonnunquam totum abdominis concavum impleviſſe obſervationum ſcriptores literarum monumentis conſignarunt.

Aëtius θ) cum quo *Aretæus* ι) & *Spigelius* κ) faciunt, *lienem* in ſpleneticis adeo increſcere & diſtendi memorat, ut interdum longitudine ſua ad inguen perveniat, & latitudine hepar attingat.

Marcellus Donatus λ) in nobili fœmina *lienem* univerſum abdominis ſpacium occupantem invenit, quo tamen non obſtante filios rectè peperit exactè formatos, non ſine admiratione omnium.

Hi ſunt magni illi LIENES, de quibus *Hippocrat*: aliquot in locis μ). & *Gal.* ν) ſequentia docent: *Quibus*, in-

π) *l. 1. Anat. reform. c. 16*
ϱ) *l. c.*
σ) *l. c.*
τ) *Exercit. 6. Anat. l. 1. ſect. 2. c. 24. p. 433.*
υ) *l. 1. Phyſ. c. 7.*
φ) *l. 5. human. corp. Fabr. c. 9.*
χ) *l. XV. Anatom.*
ψ) *in obſ. propriis.*
ω) *Cent. 3. epiſt. med.*
α) *Th. Barth. 62.*
α) *Cent. 1. hiſt. Anat. hiſtor. 80.*
β) *Obſerv. Anat. 13.*
γ) *Tom. II. Oper. obſ. 4. p. 442.*
δ) *Cent. 1. Obſ. chir.*
ε) *l. c.*
ζ) *l. c.*
η) *l. c.*
θ) *l. c. 7. & 16.*
ι) *l. 1. chron. c. 14.*
κ) *l. c.*
λ) *Hiſt. mirab. l. 6. c. 3.*
μ) *præſertim l. de intern. aff. l. 2. Prorhet. l. 4. de morb. it. Aphor. 22. ſect. 3. & l. de ter. aqua & loc. it. l. de loc. in hom.*
ν) *l. 2. facult. natur. c. 9.*

docent

quiunt, *lien augeſcit, iis corpus contabeſcit. Hinc Imperator Trajanus lienem fiſco ſive ærario publico comparavit. Ut enim diteſcente fiſco populus utplurimùm depauperatur, ita creſcente & intumeſcente liene reliquum corpus minuitur. Ratio eſt: quia quando lien θάλλει, viret, floret, pullulat h. e. præter naturam tumet, tunc propter oppilationem, vel repletionem, vel infirmitatem non amplius ad ſe feroſam craſſam fæculentamque chyli partem trahit. Proin ſanguis in hepate fit deterior, utpotè non probè defæcatus. Is igitur in corpus diſtributus minimè aſſimilatur, quo fit, ut corpus ſuo defraudatum genio minuatur & contabeſcat.*

ξ) *Emblem. 146. p. 521.*

Pertinet huc, quod *Alciatus* ξ) habet:

Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus,
Fiſco aucto arguitur civica pauperies.

Ad quod ita commendatus eſt *Cl. Minoës*: Similitudine oſtendit opulentiam tyranni, cauſam eſſe ſubditorum inopiæ. Ut enim in corpore humano, ſi ſplen ſit auctior ac tumidior, tabem ac maciem cœteris partibus inducit. Rationem adfert Ariſtot. ο) quod ſplen multam ad ſe trahat materiam, quæ tranſire in alimentum debebat. Conſtat enim, ait ille, homines pauci ſplenis pingues effici. Splen autem viſcus eſt in ſiniſtra parte ſuccos ad ſe trahens craſſos ac melancholicos in hepate genitos. *Lienem* Latini vocant, de quo *Galen.* π) In benè ſe habentibus mediocris eſt, unde etiam *Hippocrat.* ϱ) parvum magis probare videtur, quum magnum, quò magis enim creſcit *lien*, eò magis creſcunt mala, velut ex jam adductis eluceſcit.

ο) *in Probl.*
π) *4. de uſu part. c. 15.*
ϱ) *de locis in homin.*

Peccat etiam nimia parvitas, meritoque inde ab *Ariſtot.* σ) accuſatur.

σ) *3. hiſt. anim. 16.*

In FERDINANDO III. ſacratiſſimæ memoriæ, melancholia hypochondriacâ mortuo, parvus admodum atque exiguus fuit. *Wolfg. Hæferus* τ)

Salmuth. υ) in fœmina Lipſienſi in partu extincta hepar maximum, *lienem* verò adeò parvum, ut ne pollicem quidem majorem adæquaret, oculis ſuis vidit.

Riolan. φ) *Jac. Aug. Thuani* vix unciam exæquaſſe dicit.

τ) *in Hercu. Med. l. 3. c. 3. p. 162.*
υ) *Cent. 1. Obſ. 21.*
φ) *l. 2. Anthrop. c. 16.*

In

In *Principe Luxenburgicâ* vix veſtigium hujus apparuiſſe *Conringius* χ) habet. Huic collacteum quod *Georg. Hieron. Welſchius* ψ) de phthiſici *liene* profert, quem vide.

χ) *l. c.*
ψ) *Cent. 4. Obſ. 52. ſyllog. Curat. & Obſ.*

Cauſam Ariſtoteles ω) ſubdit ſequentem: Διόπερ ἐν ἐνίοις ἐκλείπει τὸ μέγεθος οἷς ὀλίγη περίττωσις γίνεται, πάμμικρος ὥσπερ σημείου χάριν. i. e. *Idcircò in nonnullis deficit à magnitudine, quibus parum excrementi gignitur, perexiguus eſt, qſ. notæ gratiâ.* Cauſamq; ſic in excrementa vel abundantia vel deficientia rejicit. Verum enim vero notandum, ſententiam hanc in nimiâ magnitudine, ubi copioſior humorum affluxus accuſandus, (ut ex ſupra allegatis exemplis videre poſſumus,) locũ habere poſſe; at contra, ubi vel à primô ortu, vel naturæ quaſi vitio major aut minor evadit, ut de Thuani & Principis Luxenburgicæ ſplenibus *Conringius*, α) ſuſpicatur, minimè: quem tamen defectum natura in aliis reſarcire conatur, quod egregiè fœmina illa Salmuthi, optimâ per totam vitã ſanitate gaviſa, nos ſuo exemplo edocet.

ω) *l. de part. anim.*
α) *l. l.*

CAPUT QUARTUM qualitates conſiderat.

PRIMAS quod attinet *QUALITATES* TEMPERAMENTUM habet moderatè calidum, non nihil & ad ſiccitatem vergens, ob ſanguinis ſpirituoſioris copiam, quæ ſententia olim & *Hippocratis* α) fuit.

Frigidum tamen ſtatuit *Macrobius* β) cum *Riolan.* γ) quando jecur caloris, lienem frigoris domicilium pronunciat.

Nodum hunc Gordium ſoluturus *Mundinus* δ.) Lienem cuti comparatum dicit eſſe conſtitutionis calidæ & humidæ, in ſe verò ſpectatum & reapſe temperamenti eſſe frigidi & ſicci propter nutrimentum.

α) *l. de carnibus.*
β) *l. 7. Saturn. c. 4.*
γ) *in Anthropogr.*
δ) *in Anat. c. 15.*

Talentonius verò opinatur melius eſſe, ſi ſtatuamus, *lienem calefacere ventriculum ratione fibrarum*, ex ſententia *Galeni*, non ex propriâ vi. Sed nodum in ſcirpo quærit.

Nos per *fibras* haſce vaſa cum contento ſanguine intelligimus, & meritò cum *Veſalio*, eandem fovemus ſententiam.

ε) *l. de carnibus.*
ζ) *l.c.*

In SECUNDIS juxta *Senem Coum* ε) ſ.n. mollis, rarus ac ſpongioſus eſt, quæ mollities unde exſurgat, *infra cap. ſubſequenti* videbimus. *D. Schenck* ζ) ſuccoſum nimium in malefica: induratum quoque in mœcho vidit. Quod & *Georgius Queccius* Medicus olim Norimbergenſis, in ſcriniario aperto obſervavit.

η) *de humoribus*
θ) *l. 8. corp. hum. Fabr. c. 14.*

COLOR non idem eſt in omnibus. Nam qualem humorem *lien* continet, talem colorem repræſentat, *Hippocrat.* η) *Highmoro, Spigelio* θ) & aliis teſtibus.

ι) *in Mantiſſ. Anat. ad obſ. Barthol. obſ. 25.*
κ) *l. 1. Anat. reform. c. 16*

In embryone purpuræ inſtar rubet, quia tunc ſanguine laudabili ac depurato alitur. Rubet quandoque etiam in adultioribus, velut *J. Rhodius,* ι) *Barthol.* κ) & ante hunc *Veſalius* ac *Spigel.* λ) & nos in nupero ſubjecto, quod *Excell. Dn. Præſes* ſecabat, obſervavimus.

λ) *l. c.*
μ) *l. c.*
ν) *l. c.*
ξ) *l. 5. hum. corp. Fabr. c. 9.*

In ſanis ſemper rubere *Bauhinus, Conringius* μ) *Spigel.* ν) affirmant. In adultis autem plerumque liveſcit, qui tamen color lieni non eſt proprius. Non bene ſani hominis eſſe, *Spigel.* ait, ſi lien hepatis parenchymate ſit nigrior. *Veſalius* ξ) verò viſcus hoc in homine atro quodam & perquam obſcuro colore nigricare, affectisque elephantiaſi ſimile fieri, idque ex propria obſervatione, ſcribit. *Pariſiis,* ait, *in D. Lazari monaſterio & in pleriſque ſuperioris Germaniæ agris, & alibi quoque elephantiaſi morbo affectos, vidi nigricantem lienis humani colorem ſuperficiemque ita exquiſitè referentes, ac ſi quis ex liene confinxiſſet.*

Colorem hunc lividum *Conringius* vitioſæ diætæ, imprimis nimio potui adſcribit.

ο) *l. c.*

Th. Bartholinus ο) temperamento cujusque & caloris varietati attribuit.

π) *l.c.*
ρ) *Barth.c. 4. Hiſt. Anat. 10. Cent. 5. hiſt. 4.*

Veſal. π) albidum lienem adinvenit: *Barth.* ρ) cæruleum. Ne in animalibus quidem nigreſcere, Conringius ſcribit. In cane ſplendidior eſt ipſo hepate: in porcis & bobus candicat magis: in calidis brutis magis nigricat.

σ) *in exam. de vulner.*

FIGURA varia eſt, qſ. parùm de hâc natura eſſet ſollicita, ut *Seibiz.* σ) loqui amat. Quot enim homines ſunt, ut verè *Riolanus* dicit, tot ſunt *lienis* differentiæ, aliquando longæ, aliquando quadratæ, aliquando rotundæ.

Formam ſedi propriæ proportione reſpondentem, ac hepa-

hepatis modo à vicinis partibus ſibi impreſſam obtinere *Veſalius τ)* docet.

Ariſtotel. υ) in cornigeris rotundum eſſe, in multifidis longum, in ſolipedibus medio ex dictis hiſce modo ſe habere ſcribit. Interdum etiam rotundus fit in morbis.

In medio bifidum epatis inſtar, tres venarum ramulos per fiſſuram admittentem *Joach. Tanckius ap. Gr. Horſt. φ) Highmorus χ)* & *Riolanus* depinxerunt.

Lienem tribus appendicibus præditum in Principe Darmſtatino infante, hydropico obſervavit *J. Dan. Horſt. ψ)*

Hippocrates linguæ bubulæ; *Ariſtotel. ω)* lieni ſuis comparat. *Riolan. α) Hippocratem β)* ſecutus in homine plantam pedis humani exprimere ſtatuit.

Cavum vidit dictus *Riolan. γ.)*

Lienem cultri calcearii inſtar in equo ſe vidiſſe *Severinus δ)* refert.

In lupo lucio tricuſpidalis figuræ fuit lien *ε.)*

Quadratus *Bauhin. ζ)* eſt viſus.

Præterea *gibba* eſt verſus coſtas figura; verſus ventriculum *cava*. Linea etiam adeſt, quæ ῥαφὴ appellatur. Pars ſuperna *Hippocrati η) κεφαλὴ, caput*: inferna τελευτὴ, cauda audit.

SUPERFICIES non tam exaſciata atque lævigata, ac hepatis. Impreſſiones quaſdam à coſtis habet; prominentia tubercula adſunt, qualia in cute elephantiaſi correptorum cernuntur, ad ſecuritatem vaſorum ingredientium. Ut paucis reddam, juxta *Lindan. θ)* ſuperficies utriusque differt à ſuperficie hepatis, quantum ſana cutis à cute elephantiaſi laborantis.

τ) *l. c.*
υ) *l. 3. de part. anim. c. 13.*
φ) *l. c.*
χ) *in diſquiſitione ſua Anat. Riol.*
ψ) *in Antropograph.*
ψ) *in Obſ. Anat. decult.*
ω) *1. Hiſt. 17*
α) *l. 2. Ench. Anat. c. 26.*
β) [illegible]
γ) *in Antr.*
δ) *in Zootome Democritea.*
ε) *Colleg. Anat. priv. in obſ. ſelect. p. 42*
ζ) *l. 1. Theat. Anat. t. 43.*
η) *l. de Off. natur. text. 27.*
θ) *l. c. ſ. 24.*

CAPUT QUINTUM

ſubſtantiam, materiam ac modum generationis deſignat.

QUatenus *viſcus* eſt *conſtitutionis organicæ*, ex variis partibus componitur.

Circumcingit *Lienem* I. MEMBRANA tenuis, quam *Riolanus*

α) l. 2. Enchirid. Anat. l. c. *lanus* α) huic propriam, *Bauhinus* & *alii* ab *omento*; plures verò à *peritonæo* productam eſſe ſtatuunt.

Tenuis eſt, nonnunquam tenuiſſima, ſi tamen cum illa hepatis conferas, craſſior apparebit, quò vim arterioſi ſanguinis fortius perferre poſſet. Lindanus craſſitiem hanc à duplicaturâ vaſorum & peritonæo provenire autumat. Nullus enim dubitat vaſa externam membranam, cum lienem intrant, foris circa illum dimittere.

In nonnullis pinguedine obducitur, quæ tamen propè lineam albam potius omento, quam veræ *lienis* membranæ adhæret.

Quandoque præſertim in ſenibus, incraſſatur, & in cartilaginem evadit, ut *Spigel. Riolan. Andernacus*, *Bauhin.* referunt.

Craſſitiem corii bovini *lienem* ſæpè induere, teſtis eſt *Barthol.*

Aliquando à nimio calore ac ſiccitate adeò exſuccus, ut vitri in modum frangere poſſes.

Sic in Spoletano podagra bene vexato atque extincto *lien* inventus fuit planè exſuccus omniq́ue pulpâ carens, marſupii in modum inanis, ſiniſtris hypochondriis affixus *J. Schenck.* β)

β) l. 3. Obſ. Med.

Geminam membranam lieni concedit *Highmorus* γ) quam cum omento communem habeat.

γ) diſquiſit. Anat. l. 1. c. 3

P. Laurenberg. δ) etiam duplicem tunicam ſtatuit *Laurentium* adducens qſ. ille idem ſentiat: quàm diligens autem in eo quæſiverim, nihil tale invenio, ideoque veriùs pro ſimplici, quam diſtincta membrana habenda.

δ) Anat. Exer. 7.

Uſum hujus membranæ nos cum *Th. Whartono* ε) eſſe dicimus, ut ſcilicet materiam *lienis* fluidam colligat, à fluore præſervet, *alioquin quaſi placenta ſanguinis concreti, vel ſtercoris bubuli recentis inſtar diffueret*, ut ille loquitur.

ε) Adenograph. c. 4

II. CARO hujus eſt parenchymatica, ſui generis, mollis, rara ac ſpongioſa, fibris quàmplurimis repleta, quò ſcilicet melius copioſum ſanguinem depurationi jam dicatum undiquaque imbibere, totiq́ue deinde alibilem reddere poſſit, quam tamen carnem *Th. Barthol.* ζ) dubiam facere videtur, quem vide.

ζ) diatrib. de pulmonibus ſ. 2. p. 27.

Linda-

Lindanus η) permotus autoritate *Hippocrat.* θ) quando de hac laxitate diſſerit, inter carnem aliorum viſcerum & *lienis*, ſeu *lienem* potius ipſum diſtinguit. *Talis eſt*, inquit, *non caro, quæ non poteſt non compacta eſſe: ſed LIEN ipſe, ob infinitatem qſ. vaſorum quæ ſicuti oculis eſt in ſecto obvia, ita integro laxitatem corpori conciliat.* η) *l.c.§.29.* θ) *l. de carnibus. §.9.*

Diverſa tamen eſt ab hepatis parenchymate duobus modis, 1. quod laxior & mollior ſit carne hepatis, 2. quod non ſemper, ut hepar, rubeat.

Mediocris eſt laxitatis à nimiis vaſis, ut dictum, provenientis. Caro enim his quando circumfunditur, tàm arctè propter obſtantia vaſa cohærere nequit.

Glanduloſam hanc eſſe ſubſtantiam, nonnulli ſomniant, ſed fruſtra, ut multis probat citatus *Th. Wharton.* ι) Plura non adduco, ne Iliada poſt Homerum ſcribam, adiſis *D. Schenck.* qui litem hanc doctè componit. ι) *l. c.*

FIBRÆ, quarum ſupra mentionem fecimus, an perviæ ſint, ſi disquiritur, experientia & ratio, duo firmiſſima Medicinæ fulcra, cavas illas eſſe, comprobant. Nam immiſſo ſtylo in dictas fibras, eas iterum terminare, ſanguinem recipere, continere & depuratum cordi illas reddere addiſces.

Diſtingvunt autem à vaſis *Wharton.* & *Nathan. Highmorus.*

A tunica *lienis* dictas has fibras oriri, darique plurima in *liene* foramina, retiumque in modum has in ſe complicatas ſpongiam aut pumicem exprimere, oſtendit poſt *Veſal. Highmor.* κ.) κ) *Diſquiſit. Anat. l.c.& de aff. hypochond.*

In ſtatu p. n. quando omnis generis ſordes, ſpongiæ in morem in ſe imbibit ac ita continet, vel quando nimis induruit, maxima nobis mala minatur, de quib. cap. ultimo agemus.

Hæc *lienis* caro vulgi noſtri deliciæ ſunt, aſſant enim illum, præſertim *vitulinum* & *ſuillum*, cepisque infarciunt, aut elixum cum viſceribus aliis pulteque piperatâ conditum apponunt.

Bruyerinus λ) ſuæ nationis populos vitulinos, omento implicitos, aſſos mandere & tanquam præſentaneum remedium ſplenici doloris magnis laudibus efferre ſcribit. λ) *l. 11. de re cib. c.17.*

Bubu-

Bubulum quoque aſſum, vel elixum in cibo eidem ſuccurrere dolori, *Id. ib.* narrat.

μ) *l. de bon. & vit. ſucc. c. 4.*

Galen. μ) cæteris omnibus ſuillum præfert.

Quicunque tamen ſit, cum ſit ſucci pravi, parum alat, ægrè concoquatur & peſſimè nutriat, menſis majorum gentium exulat.

ν) *l. 28. Hiſt. Nat. c. 4.*

Si *Plin.* ν) fides eſt habenda, canina olim ap. Romanos tutò menſæ apponebatur.

Interim ex variorum animalium LIENE, varia medicamenta ſpecifico modo in ejus dolores agentia, parantur.

Lien canumus, viventi ſi eximatur & aſſumatur ut *Autor l. 2. de diæt. & l. de morbis intern. ſcribit* lienoſis prodeſt.

ξ) *l. c. C. 3. Obſ. 1.*
ο) *l. 3. Hiſt. Anim. c. 6.*

Apri recens capti *lien* aſſus ac comeſtus vertiginem extemplò tollere, experimento Walteri ab Hirnheim teſtatur *G. Hier. Velſch.* ξ) *Eſt,* infit in notis ad hunc locum, *lien οἶνον νόθου ἧπαρ ex ſententia Ariſtot.* ο) *unde & ſingulari proprietate cerebro amicum eſſe, & vi quodam adſtringendi, vapores ex ventre elevatos reprimendo, vertigini prodeſſe poteſt.*

π) *in Pharmac. dogm. reſtit. l. 1. c. 8.*
ϱ) *l. 5. cl. 1. Pharm. Medico-Chimicæ p. m. 170.*
σ) *l. 2. Jatronices Medic. ſimpl. p. 196.*

Joſeph. Quercetan. π) *J. Schrœderus* ϱ) decoctum ſplenis *bovis* contra ſcirrhum ac obſtructionem lienis mirificè laudant.

Erinacei aſſumptus & *hœdi,* dolori impoſitus, præſentaneum, referente *Ottone Brunsfelſio* σ) eſt remedium.

Ex humano ſimilia confici poſſe intrepide nos affirmamus. Et, cur *Beckerus* in *Medico* ſuo *Microcoſmico* ſicco pede præteriverit, neque ullam mentionem talismodi medicamentorum, ex *liene* præparandorum per totum librum fecerit, meritò miramur.

Nam ſi ex abjectiſſimis partibus e.g. urinâ, pilis &c. pharmaca fiunt, cur, quæſo, non etiam ex Liene?

Nunc explicitis unde membrana & caro ortum ſuum ducant & ex quibus conſtent, ad reliquas ſubſtantiam conſtituentes partes, velut poſt longam peregrinationem, revertimur, &

III. VASA ipſa aggredimur, quæ trium ſunt generum.

I. ARTERIAS (quas, ut *Columbus* vult, ſed falsò, ut ei

Piccolhom.

Piccolhom. oſtendit, ſieni denegaverit *Galen.*) accipit à ramo aörtæ deſcendente, ſupra cœliacam poſito, & proprio nomine ramus SPLENICUS vel LIENARIS dicitur, quia ſolus ad lienem progreditur.

Sunt multi æque ex Veteribus, ac Recentioribus, qui cæliaci ſobolem eſſe credunt; ſed, cum à particulari ad univerſale non ſtatim valeat conſequentia, videndum, à cujus trunco frequentius propullulet, & tunc ab aorta ramum hunc LIENAREM provenire, diligentem anatomiæ cultorem ipſa *αὐτοψία* docebit, & jam dudum primus ejus obſervator, quod ante ſe accuratiſſimi tot Anatomici non obſervarint admirans, docuit.

Hoc præeunte, ut *Lindanus* τ) vult, poſtea *Riolanus* etiam obſervavit, qui ſæpiꝰ publicè ſe demonſtraſſe ſuperbus gloriatur. Imò etiam ipſi *Hippotmti* cognita quædam de origine, progreſſu & inſertione fuiſſe videntur. τ) *l.c.§.26.*

Exit itaque à natali ſuo ſolo primò *indiviſus:* paulo poſt tot ſurculos, quòt *vena ſplenica* habet, emittit.

Antequam dividitur, ex ſuperiori parte ſpargit GASTRICAM SINISTRAM, quæ medio poſterioris ventriculi partis inſeritur, & exin prorepens ſiniſtrum ventriculi orificium ambit, & CORONARIAM ARTERIAM conſtituit. Ex inferiori parte EPIPLOICAS SINISTRAS producit, quæ ad inteſtinum colon plurimos ramulos mittunt.

Diviſione facta & propagatis hisce arteriæ ſplenicæ ſurculis, dividitur in *duos ramos.* SUPERIOR in caput deſinit: INFERIOR caudam ſedem ſuam eligit.

Ex *ſuperiori* ſeu, ſi mavis, *capite* deducitur VAS BREVE, de quo mox plura dicenda nobis erunt; ex *inferiori* aliud procedit. Hæc eximiam atque inſignem *ἀναςόμωσειν* annotante *Spigel.* faciunt, inque lineam ejus rectam propaginibus ſatis notabilis magnitudinis terminantur, ibi uniuntur & unâ membranâ obducta cum venis conjunguntur.

Diviſiones hæ vaſorũ in ingreſſu ſunt majores, dein ſenſim & ſenſim attenuantur, adeò, ut aranearum telis ſimiles conſpectum noſtrum vix ſubeant, unde multi eas lienem non ingredi ſibi perſuaſum habent. Longè tamen aliud experientia nos

D docet,

docet, macerato enim colliquefactoque liene arteriolarum venarumque quaquaverſum per totam lienis ſubſtantiam diſperſarum fruticationem cernere licebit, quod dexteritati *Highmori* *u)* debemus, cujus etiam experimentum fecit *J. Jacob. Wepferus*, ut videndum ap. *Barthol.* *φ)*

u) Anat. Disquiſ. l. 1. p. 3. c. 3.

φ) Diatrib. de pulmonibus l. c.

Pancreas obliquo ac flexuoſo ductu pererrat ſecundum *J. C. Arantium*. *Riolanus* vero *in Animadverſ.* in *Veslingium* negat, & tantum extra tranverſim impoſitam eſſe dorſo juxta diaphragma, ſcribit.

USUM unusquisque pro confirmanda ſua ſententia, prout de hujus viſceris actione ſentit, varium hiſce affingit. Nos miſſis omnibus ſtatuimus, uſum eſſe, ut ſanguinem pro nutritione ejus adferat, partim ut adductum ſanguinem fortius & citius immutari ac depurari faciat.

Ut autem melius dictum hoc officium perficere poſſent, quintuplo plures in *liene* ſunt arteriæ, quam venæ, plures etiam quam in hepate; quin, ut *Gremſius* vult, in cæteris partibus omnibus; 400. enim arteriis, *lienem* refertum eſſe credit. *Joh. Van Horne*, *χ)* vix alia, quàm arterioſa *lienem* intra ſe recipere ſcribit; ideoq; arterioſum viſcus *Galen.* *ψ)* contra venoſum *Hippocrat.* *ω)* appellant. Nam tanta eſt vaſorum frequentia, ut magnam illam vaſorum implicationem ad continendam quoque ſpongioſam viſceris carnem factam eſſe credere fas ſit.

χ) §. 42. Microcoſm.

ψ) l. 4. de Uſu part. c. 15.

ω) l. 4. de morb.

II. VENAS habet à minore ſeu ſiniſtro venæ portæ ramo. Ab hoc ramo, SPLENICO dicto, plures prodeunt, ut ſupra monuimus, ramuli. Diſſeminatis enim hiſce, vena hæc ad LIENEM propius accedens, ex capite VAS BREVE ARTERIOSUM, ex caudâ VENAM HEMORRHOIDALEM mittit, de quibus nunc agendum.

Digna ſunt, præcipuè VAS BREVE, quæ paulò accuratius præ cœteris conſiderentur; nam quò altius reliquæ in *lienem* penetrant, eò magis graciliores fiunt, ita, ut vix amplius appareant.

In bove, damis, ovibus ac aliis in caudâ ſtatim poſt tunicam deſinit, neque parenchyma amplius perforat; in homine tamen paulò altius penetrat.

Prius

Prius autem, ad horum conſiderationem quam accedamus, venæ cui uſui ſint, &, an amicabili conſortio inter ſe conſpirent, explicabimus.

USUS itaque venarum eſt, ſanguinem è liene recipere, ad cavam, exin ad hepar & cor iterum derivare.

An *anaſtomoſibus* inter ſe coëant, res explicatu eſt difficilima.

Th.Barthol. α) ac ſi vidiſſet, quasdam venarum cum arteriis conjunctiones agnoſcit. α) *Anat. reform. l. c.*

Lindanus β) negare hoc videtur. β) *l. c. §. 26.*

Concedit tamen *Rolfincius* γ) quando communionem utriusque vaſis duobus ſtylis explorare jubet, alteram per arteriam, alteram per venam intromiſſo, & inter ſe collidere tunc videbimus. γ) *l. 6. Diſſert. Anat. c. 24.*

Una tamen præ cæteris maximè videri poteſt, quæ ante ingreſſum in *Lienem* contingit, eſtque ſatis notabilis, cum dicta ſcilicet vena cum arteria comite conjungatur. Aliæ obſcuræ nobis ſemper apparuerunt.

Valvulæ præterea his inſunt, in homine non adeò conſpicuæ.

Nunc ordo poſtulat, ut in reliquas dictas *Lienis* venas jam inquiramus, ex quibus I. VAS BREVE eſt famoſiſſimum.

Spinoſa hæc eſt materia, multisque controverſiis implicata.

Tale vas in corpore dari, *Æmylius Pariſanus* δ) plane negat, illudque tantum ligamenti nomine dignatur. δ) *l. 4. de ſubtil. microcoſm. Exerc. 2.*

Utplurimum, in ſtatu intellige naturali, adeſt: defuit tamen aliquando, ut *Walæus*, *Fontanus* & *Barthol.* demonſtrant.

Raro unicum eſt, nonnunquam bifidum, frequentius tres, imò plures etiam, interdum ſex emittit ſurculos. *Veslingius* octo invenit, & nos in nuperâ infanticidâ numeroſiores.

Natale ſolum eſt ramus SPLENICUS, à quo communiter ante ingreſſum in *lienem*, rarius à vaſis jam intra corpus latentibus proficiſcitur.

A tunicis quando eſt abſconſum, plurimos emittens ramulos mox fundum, ſæpius orificium ventriculi ſiniſtrum co-

 ronat,

ronat, ipſam tamen *Lienis* ſubſtantiam in ſtatu ſecundo non intrat, ſed potius, ut ex diligenti ſubjectorum inſpectione liquet, ſtatim intra primam ventriculi tunicam deſinit.

Ex recentioribus *Riolanus* admittit, ubi punctula livida in interiori tunicâ poris ac foraminulis ſimilia obſervavit. Conceptus in animo potius, quam verè pervia foramina.

In ſtatu autem præternaturali, aut certo quodam individuo, ventriculum intrare illique aliquid infundere, nos non litigabimus, cum & *ſupra cap.* 2. de conſenſu ubi egimus, adductis exemplis jam confeſſi ſimus, probatq; non ineptè *Valverda* exemplo *Cardinalis Cibonis*.

Idem quoque in aliquot perſonis *Joh. Dan. Horſtius* ε) obſervavit, cui etiam collacteum refert *Laz. Riverius* ζ.)

Ingenioſiſſimus *Conringius* η) de hoc quando diſſerit, diſtinguit inter modum *naturalem* & *violentum*, & in hoc ex *liene* per vas breve effluere aliquid poſſe concedit, in illo verò minimè.

Circa vaſis hujus *uſum* Autores in varia ſententiarum abeunt divortia.

Galenus θ) acidum ſuccum ſive melancholiam acidam per venoſum hunc ſtomachum (ita nominat vas breve) ad coctionem juvandam in ventriculum eructari ſtatuit.

Avicenna ι) titillando œſophagum famem excitare ſuperaddit.

Walæus & *Barthol.* huic opinioni etiam ſubſcribunt, ratione & experientiâ, quod nulla pars in corpore magis aceſcat, quam ipſe LIEN, ſatis edocti, idque, quod lien porcinus debilitatem ac imbecillitatem ventriculi corrigat, obſervationibus ſuis approbant.

Nonnulli fermentum ſeu ſanguinem acidum in ventriculum deponi volunt duabus de cauſis, vel, ut eum corroboret, vel, ut appetitum in illo excitet: acidi verò nihil in LIENE generari, *Highmorus* κ) pluribus doctè evincit.

Alii affingunt huic, quaſi chylum à ventriculo ad *lienem* ducat; cum autem *vas breve* ipſum lienē plerumq; non intret, quomodo, in illum aliquid devehere, vel ex illo in ventriculum,

ε) *Manuduct. ad Med. P.* 1. *c.* 1. *ſ.* 3. *p.* 93.
ζ) *Obſerv. Communic.* 6.
η) *l. c. c.* 22.
θ) *l.* 4. *de uſu part. c.* 15. *l.* 5. *de uſu part. c.* 4. & *l.* 3. *facult. nat. c.* 3.
ι) *Can.* 1. *fen.* 1. *doctr.* 4. *c.* 1.
κ) *de affect. hypochondr. c.* 4.

lum, cum ille non ſit pervius, ut manifeſtò jam conſtat, ſeſe exonerare poſſet?

Quicquid igitur dicant & quàm acriter etiam pro illo nonnulli pugnent, ſive ventriculo aliquid communicare, ſive ex illo aliquid exſugere ſtatuant, dubii hærent. Conſentit etiam præter alios

Dominicus de Marchettis, λ): *Sunt*, inquit, *qui dicant* VAS BREVE *aſcendere ad excitandum appetitum, & quod ventriculum ipſum perforet; ego tamen*, pergit, *in plurimis cadaveribus à me diſſectis hanc perforationem nullâ diligentiâ obſervare potui, & licet mihi notum ſit, quod, quando ſanguis vomitur per os, hoc proveniat ab aliquâ venâ, quæ ventriculum perforat, ſed tunc vas non eſt in ſuo eſſe naturali* &c. cum quibus confer, quæ *Th. Barth.* μ) habet. Sequitur nunc

λ) Anat. c. 3. p. 16.
μ) l. 1. Anat. ref. c. 9.
ν) diſſert. Anat. l. 5. c. 16.

II. HÆMORHOIDALIS, quæ juxta *Rolfinc.* ν) ramo menſenterico ſive portæ dextro natales ſuos debet.

Hæc ſitum ſuum interdum mutat & propè ſplenici initium oritur, deindè internè ſecundum inteſtini recti longitudinem decurrit, inque ejus ſubſtantiam membranoſam deſinit, ubi hæmorrhoidali externæ aſſociatur immeditatè.

Nulla per hanc deponitur materia ſpurca, tam craſſa, qualis illa, quæ per externam ſecedit, nihil enim per venas è *Liene* alvo comunicari poteſtimmediatè.

Cumulatur & colligitur hîc materia ex univerſo corpore. Hîc ubi ſtagnat hæcce materia vitioſa, vitiū contrahit ac plurimorum morborum altrix evadit; ſi verò evacuatur, ceſſant omnia fere ſymptomata. Plura vide ap. *Rolfinc.* ξ) *Swalwium* ο) *J. Walæum* π.)

III. NERVI quoque à ſexto pari copioſi adſunt, ut *Fr. Gliſſonius* ρ) oſtendit.

Subſtantiam ipſam ex toto non adeunt ſed in membrana evaneſcunt quaſi. *Gliſſonius* tamen nervos parenchyma revera intrare & cum arteriis in illud abſcondi affirmat, ita enim ille: *Singulis*, ait, *arteriæ ramis plures nervorum rami adſtites ſunt, iiq; diverſæ magnitudinis, quorum bini arteriæ trunco utrinque accumbentes præ cæteris conſpicui ſunt.*

ξ) in diſquiſit. therapeut. ſ. 6.
ο) in ord. & Meth. Febr. general. c. 8.
π) Meth. Medendi de hæmorrhoidibus.
ρ) in Anat. Hepat.

Hos nervos quò liene propiores fiant, eò magis incrementum ſumere *Idem* confirmat; in homine tamen tale quid obſervare non datur, quam diligens etiam ſis in inquirendo ac perſcrutando.

In horum uſum ſi inquirimus, varius à variis illis imponitur.

σ) *l. c.* *Gliſſonius* σ) & *Th. Whartonus in Adenograph.* eos ſucco alimentitio, ſeu potius, alibili exſugendo & devehendo deſtinatos eſſe, pro certo habent.

Verum hoc de officio Gliſſoniano quid ſentiendum ſit, *Th. Barthol.* τ) *Highmorus* υ) *Deuſingius*, φ) prolixè æque, ac accuratè ſatis pertractant, ad quos animum veritatis avidum remiſſum volo.

τ) *ſpicileg. 1. de Vaſis lymphat. c. 3* υ) *de affect. hypochondr. c. 4.* φ) *de ſucci nutrititii. comm. novo*

Exquiſitiſſimi aliàs ſunt ſenſus ac motus, indeque punctiones dolorificas maximè ſani etiam, perſentiunt. Senſum itaque præcipuè tribuunt.

IV. LACTEA VASA an quoque ad *Lienem* tendant viſuri, in illo ne veſtigium quidem horum apparebit.

Experientiæ tamen reliquorum Anatomicorum contrariantur *Joh. Weslingius* χ) & *Deuſingius* ψ) cum quibus etiam *Conringius* ω) convenire videtur.

χ) *in Syntagm. Anatom. c. 4.* ψ) *in Anat.* ω) *c. l. c. 6.*

C. Hoffmannus pro roborandâ ſua de Lienis officio ſententia huic largitur talia vaſa, ut colligimus ex *ejus Inſtitutionibus* α) & Tr. de *Uſu Lienis.*

α) *l. 2. c. 32.*

Negat verò primus etiam horum inventor, ipſe *Aſellius*, omnemq; operam ac oleum eorum in inquiſitione ſe perdidiſſe conqueritur.

β) *Anat. Bilſian. Anatom. c. 5. p. 50.* *Joh. Henr. Pauli* β) nullas præter arterias, inveniri vias alias, per quas aliquid in ventriculum veheretur, notum quam quod notiſſimum eſſe judicat.

γ) *l. c. §. 28.* Nos cum *Lindano* γ) non neceſſaria hæc vaſa eſſe, putamus.

Præſentiam V. LYMPHATICORUM vaſorum, quantum quidem nos ſcimus, nullam concedunt Anatomici conſpicuam.

δ) *l. c.* ε) *l. c.* Ipſe *Th. Whartonus* δ) & *Gliſſonius* ε) in dubium vocant, eaque, ſi quæ præter omnem ſpem adeſſent, aliorum diligentiæ & oculis perſpicacioribus invenienda relinquunt.

Unicus *Fr. de le Boë Sylvius* ζ) hæc vaſa *Lieni* concedit, ut majorem cum arterioſo ſanguine affluentis ſeri copiam à venis neglectam abſorbeant & abducant. ζ) *diſput. de Liene & Vaſis lymphat.*

Verùm nulla adſunt, nulla invenies, quam diligens etiam ſis iis in perſcrutandis.

Cadente igitur hoc, quod nimirum vaſa hæc ad *lienem* non excurrant, cadit etiam illud, *quod* ſcilicet, ut ipſe vult, *biſce cum trunco ipſi & lacteis communi ullum ſit commercium.*

Idem judicium eſto de vaſe, quod *Excretorium* appellitant, quam acriter etiam pro eo hujus vaſis Patroni pugnant, illudque mox è *liene* ad ductum Pancreaticum, mox ad ipſum Pancreas protendere allaborant.

Reſtat nunc MATERIA AC TEMPUS GENERATIONIS, quæ paucis abſolvemus.

Sanguinem generationis materiam eſſe nos cum Hippocrate η) ſtatuimus. *At* LIEN, inquit, *hunc in modum conſtitutus eſt: cum calido & glutinoſo, calidi quidem plurimum, frigidi verò minimum remanſit, quantum ſcilicet ipſum glutinoſum cogat, quod fibræ ipſæ in liene exiſtentes conſtituunt, propter quæ mollis & fibroſus ipſe redditur.* η) *l. de carnibus.*

Tempus formationis adeò certum non eſt, formatur tamen juxta *G. Harveum* plurimosque *alios* cum reliquis infimi ventris viſceribus, cumque illis ſenſim ac ſenſim incrementum ſumit, ſicuti ex inſpectione conceptuum innoteſcit.

CAPUT SEXTUM

In verum USUM breviter inquirit, &, an ſine jacturâ vitæ exſcindi queat, ſubjungit.

USus & ACTIO LIENIS Anatomicos inter & Medicos, maximè tamen Recentiores, eſt pomum Eridos, & tot hîc audias ſententias,

quot ægros Themiſon autumno occiderit uno.

Genuinum LIENIS uſum per totius Hygieæ ætatem nondum ſatis

α) de fermentatione. 3. c. 2.

β) in progymn. phyſ. progymn. 6. p. 244.

γ) Phyſiol. c. 5. artic. 3. §. 32.

ſatis inveſtigatum eſſe, veriſſimè *Martinus Kergerus* α) ſcribit; licet omnes, quotquot de LIENE ſcripſerint, in hoc eruendo mirè deſudarint. Neque ulla alia quæſtio eſt juxta *Th. Cornelium* β) in deſcribenda animalium œconomia, quæ majoribus unquam habita ſit contentionibus, quam hæc ipſa, quæ eſt de USU LIENIS. Et tantum abeſt ut hoc falſum ſit, ut potius omnium veriſſimum, adeò quidem, ut ſuaſu doctiſſimi *Lindani* γ) ad eas bonô conſilio extricandas, Parlamenti, ceu concilii Principum ac Procuratorum Populi medici conuocatione opus eſſet. Idque ſatis appoſitè, tantis enim difficultatibus atque ſcrupulis ſcatet, ut pleriquè, doctiſſimi etiam, ab eo aberraverint.

Eraſiſtratus, Democritus & *Ruffus Epheſius, ut infra videbimus*, planè nullum agnoverunt; Alii medium obſervantes, alicui tantùm uſui dicavére, fermentationem ſanguinis, coctionem ſucci melancholici, & quæ ſunt hujus generis officia alia, *Lieni* adſcripſerunt.

In bivio Herculis nunc conſtituti, quam ex tanta ſententiarum farragine eligamus, dubii hæremus, nec ad quam nos vertamus, ſatis adhuc conſtat.

Nos Duplicem ei aſſignamus USUM, *primarium* & *ſecundarium*.

I. PRIMARIUM Lienis USUM, ſalvo omnium hâc de converſiâ judicio, in *Depuratione ſanguinis* conſiſtere, ſtatuimus.

Nam ſanguis arterioſus copioſo ſero adhuc permixtus, à corde per ramum SPLENICUM, in *lienem* derivatus, non ſtatim adeo bonus, adeo perfectus eſt, ut ulteriori elaborationi non indigeat, ſed potius accuratiorem hujus viſceris mutationem & coctionem *vi caloris inſitæque conſtitutionis* inſtituit, & ita ibi diſponitur, ut nobiliores partes citius perficiantur, terreſtriores autem longiori ſubjiciantur elaborationi, & tandem per loca convenientia beneficio circulationis ſenſim & ſenſim propelli queant.

Sunt hîc nonnulli, qui per *inſitam conſtitutionem* fermentum *Lienis* intelligunt; an vero talis fermentatio in *Liene* habitet, nos adhuc dubitamus.

Alii

Alii domicilium melancholiæ ſalutant, & ita tam nobili huic viſceri tam nobile officium oppido denegant, verùm non adeo perfectô judicio & ratione. Aliam ſi quis foveret opinionem per nos licet, noſtram repugnanti non obtrudemus: amicè communicabimus inter nos, conferemus illas, & cujus veriſſima ſit, in conflictu videbimus.

Singularum ſententiarum Catalogum hic attexere, nunc ſuperſedeo, & L. B. ad *Lindenium* δ) *Mœbium* ε) *Schenckium* ζ) aliosque qui eruditè longâ ſerie præcipuas præcipuorum Authorum de uſu LIENIS ſententias recenſuerunt, atque judicium de ſingulis ſuperaddiderunt, ablego.

δ) *l. c.*
ε) *Phyſiol. c. 16. §. xi.*
ζ) *l. c.*

2. SECUNDARIUM USUM nos eſſe credimus, ut *calorem ventriculi adaugeat, coctionemque*, ſi reſpectum ad ſanguinem, quem cum corde communicat, habeas, *adjuvet*. Contrariatur hîc *Veſalius*; verum jam ſuo tempore *Galenus* η) conceſſit, quando ventriculum ceu *ollam circumjectis prunis inter duo hæc viſcera hepar & lienem, veluti duos ignes, ut incaleſceret felicius*, interpoſitum delineavit. Ratio in promptu eſt; ſanguine enim ſpirituoſo, vitali ſpiritu prædito, crebrius & liberaliter ſi irrigatur, non poteſt non vicino ventriculo ut in ſtatu naturali ſubſidias ferre, ita in p. n. pleraque damna accerſere. In quo *Highmorus* θ) peccaſſe nobis videtur, quod videlicet in hoc ſubſidio unicum & primarium officium *Lienis* quærat. Nunc an etiam ſint vitæ jacturâ exſcindi queat, viſuri, primum, de hoc quid ſentiendum ſit, ut clarius eluceſcat, de vulneribus aliquid dicemus.

η) *l. 4. de uſu part. c. 1. l. 3. de facult. natural. c. 3.*
θ) *tr. de affect. hypochondr.*

Non deſunt, qui ſplenis vulnera parvi admodum æſtimant, præſertim *Eraſiſtratus*, de quo mox dicendum nobis erit, apud *Galen.* ι) ut & *Paracelſus* κ.) Nihil etiam curant illi, qui hocce viſcus animali ſumme noxium eſſe, ita, ut animal melius ſeſe habeat hoc ſi abſit, quàm ſi adhuc adſit, ideoque ſine omni vitæ periculo exſcindi poſſe, ſibi perſuaſum habent;

Nos diſtinguimus inter *vulnera* LIENIS *ſuperficiaria & profunda*.

Superficiarias læſiones, ſubſtantiam ipſam quæ non intrant, curari poſſe, nullas imus inficias, adducitq; in rei teſtimonium de parenchymate *lienis* uſto exemplum aliquod *B. Mœbius* λ).

ι) *l. de atra bile c. 7. & l. 4. de uſu part. c. 15. item l. 2. de natur. facult. c. 9.*
κ) *l. 2. de viribus membr. c. 7. & Apocryph. de vulneribus f. 557.*
λ) *Phyſiol. c. 16. p. 405.*

Foreſtus μ) exemplum vulneris *lienis* curati ex *Carpo* recenſet. Adi ſis *Glandorpium ν)* & *Fierovantam ξ)*

Majori curæ ſunt *Cornel. Celſo ο)* *Sebizio π)* & *Aquapendenti ϱ.)*

Profunda vulnera pro ſimpliciter & abſolutè lethalibus nos habemus, ob præſentem arteriarum per viſcus hoc diſſeminatarum copiam. Admiratione dignum exemplum nobis proponit *celeberrimus Tulpius σ.)*

Gothofr. Welſchius τ) Profeſſor in Academiâ Philyrea Celeberrimus, abſolutè lethalia pronuntiat, quia inſignem, quæ inde oritur, hæmorrhagiam inhibere nec Artis nec manûs dexteritas, nec doctum ſufficiat conſilium.

Valeant itaque atque erubeſcant, qui tanquam inutile viſcus exſcindendum eſſe exiſtimant.

Eraſiſtratus otioſum viſcus *lienem* eſſe perſuaſus, tutò eximi poſſe putat.

Fruſtra *lienem* conditum eſſe *Democritus* quoque affirmabat.

Ruffus Epheſius horum veſtigia legens, ſplenem ἄπρακτον καὶ ἀνέργητον proclamat; cum quibus plerique Veterum conſentiunt, quando *Lienem* inſigne curſûs impedimentum eſſe, ſunt arbitrati. Hinc *Plautus υ.)*

genua hunc curſorem deſerunt,
Perii! ſeditionem facit LIEN, *occupat præcordia.*

Hic enim quando p. n. intumeſcit & aliorum viſcerum loca occupat, nonnunquam totum abdomen implet. Interdum ita augetur, ut cordis regionem invadat. Sic *Idem φ)*

Perii! cor LIENEOSUM *opinior habeo, jamdudum ſalit.*

quod pro morboſo comicè & jocularitèr dici credit *Turnebus χ)*

Et à *Plinio ψ)* quoque ſcriptum: *Peculiare curſûs impedimentum aliquando in eo,* ait, *quamobrem inuritur curſorum laborantibus, & per vulnus etiam exemto vivere animalia, tradunt:* cujus opinionis fuere etiam *Aretæus, Haly Abbas, Rouſſetus* & alii.

Hanc Veterum σπληνοτομίαν non pauci ex Recentioribus

μ) 6. obſerv.
ν) ſpecul. chirurg. c. 36.
ξ) teſoro della vita humana l. 2. c. 53.
ο) de re med. l. 5. c. 26.
π) Examin. vulner. part. 3.
ϱ) operat. chirurg. c. 52.
σ) l. 2. obſerv. 29.
τ) in Rational. vulner. p. 66.
υ) in Mercat. a. 1. ſc. 2. v. 13.
φ) in Caſin. a. 2. ſc. 6. v. 62.
χ) l. 7. Adverſ. c. 15.
ψ) H. N. l. 11. c. 37.

bus etiam admittunt, & ita *liene* exciſo hominem ad curſum magis aptum eſſe, putant.

Nobis valdè periculoſum videtur. Defendere tamen qui vult, illi liberum eſto,

In brutis quidem opus benè ſuccedit, ut experientia jam conſtat.

In Anglia *Scharbourg* & *Jovilius* Medici hujus rei benè gnari, item Hagæ-Comitis juvenis quidam chirurgus in canibus ſæpius & feliciter quidem experimentum fecere.

In ſuibus aliquoties felici cum ſucceſſu hanc *Lienis* ſectionem Anglicos exercuiſſe Medicos *Th. Whartonus* ω) refert. ω) *l. c. c. 4.*

Idem & Leidæ exoptato cum ſucceſſu in canibus tentatum & peractum eſſe *A. Deuſingius* α) teſtatur. α) *l. de ſanguificatione.*

Ex noſtris etiam curioſiores quidam Medici hujus rei periculum fecére.

D.D. Michael canem ſuum à candidato aliquo ſecari conceſſit, à quo operatio optimè peracta fuit, *lien* exemtus & vulnus integrè iterum curatum, quem canem familiari joco & nomine proin Ohn-Milß vocare ſolebant, recenſente *D. D. Majore* β.) β) *l. c.*

Sed quid, quæſo, in his animalculis non innoxiè experiri licet. Horum enim de corio ſi luditur, audacius operi manum admovere poſſumus, nullo habito reſpectu doloris & ſymptomatum, ſive intenſionem, ſive durationem eorum perpendas. Hinc ſectio iſta hinc inde vel ab Anglis, vel Gallis, vel Batavis ſemel aut iterum bono ſucceſſu tentata, crebrius poſt inſtituta eſt.

In canibus, felibus, cæterisque animalibus abeſſe quidem poteſt, fatemur, licet non ſine vitæ tædio; ad benè eſſe, non ad eſſe ſimpliciter, ad meliorem nutritionem, non ad ſimplicem comparatus eſt *lien*. Exeſſe ergo omnino poteſt, ſuperſtite animali, ut in ſpleneticis & hydropicis nonnullis diſcimus. Hi licet *lienem* habeant, *lienis* tamen ſæpe uſu carent, ſicque vitam, ut ut miſeram, vivere tenentur. Quis enim noſtrûm eſt, qui ex hiſce animalculis ſciat, quomodo ſe haberent, an melius, dum *lien* adhuc intra abdomen lateret, an nunc cum ſit exemtus?

Periculoſior eſt hæc ſectio in homine, neque ſine tyrannide quadam & magnâ temeritate à noſtris Medicis imitanda, ſed Barbaris potius relinquenda. Et, quam cautè etiam agas, ſuſceptam operationem perficere dum feſtinas, ipſo, dum feſtinas (nam in hoc ſumma elegantia poſita eſt, inq; hoc cardo rei verſatur) maximeque cautus eſſe ſtudes, eo ipſo minus cautè ſæpius ages.

Quis etiam tàm crudeli animo in proprium genus ſæviret, ut ſeparando parenchyma à vaſis majoribus, nefandis talismodi doloribus ac cruciatibus hominem conficiat, niſi fortè mortis violentæ candidatum.

Et maximè ſalutiferum licet eſſet, quod nullatenus concedimus, ponamus, ex ter-mille tamen hominibus vix unicum invenias, crudeli hoc experimento qui liberè ſeſe exponat, quive adeo morigerum & facilem ſe gerat, ut in corpore ſuo hoc ſit admiſſurus; dubito, niſi eò per vim rapiatur, ut fit apud Turcas.

Sit etiam, quod feliciter totum ſuccedat negotium, infeliciter tamẽ poſt feliciſſimã etiam *Lienis* exſectionem vivat, neceſſe eſt.

Extraxit tamen cuidam ſpleniticæ Panormi Anno 1549. *Leonhardus Fioravanta*, & ita eo extracto, libras 32. pendente, à ſcirrho liberavit, ope A. Zaccarelli.

Lienes ſaucios à chirurgo aliquando exemtos fuiſſe *Fr. Rouſſetus* γ) memorat, pluraque alia vulnerati *lienis* è corpore feliciter extracti exempla annectit. Sed huic cave credas, *non enim ſuâ, ſed alienâ fide*, ut *Conringius* δ) de eo ſcribit, *narrat*.

γ) *l. c.*

δ) *l. c.*

Aliam ferè portentoſam, malleo & ſecuri peractam, leges apud *Hieron. Fabritium ab Aquapendente* ε.)

Paracelſus ζ) dicit *ſplenem* tolli debere; vitamque ſine *ſplene* longiorem eſſe, quam cum *ſplene*: & cum neceſſe ſit alia membra in corpore eſſe, attamen non *ſplenem*, nam benè absque ipſo nos vivere poſſe. Et *c. 6. de ſplene, renibus & felle* ſcribit: *Sunt hæc ad nihil aliud utilia, niſi ut corrumpant, quicquid utilia membra ædificant.*

Dictis his Autoribus calculum ſuum quoque addit *Zacut. Luſitanus*, η) in hæc quando erumpit verba: *Nec mirum boc videri*

ε) *in chirurg. operationibus c. de uſtione Lienis & Ventric.*

ζ) *l. 2. de natura human. c. 4.*

η) *l. 1. Hiſt. Med. Princip. dub. 63.*

deri debet, quum LIEN *ſit per accidens neceſſarius, ſicuti retrimenta tùm alvi, tùm veſicæ: unde ſit, ut nonnullis planè deficiat. Si autem quidam hominum, quædam brutorum planè ſine liene vivere poſſunt, utiq; ſine vitæ jactura eximi poſſe videtur.*

Turcas futuris curſoribus *lienem* modo ſecreto eximere, ex illarum Chronicis *D. Bartholinus* θ) ſcribit, ibique rarum exemplum è *Ballonio* ι) profert. Sed vi eò depelluntur & ita à Barbaris his barbaricè & crudeliter tractantur, quò promptiores ad curſum fiant.

θ) *Cent. 4. Hiſt. Anat. hiſt. 51.*
ι) *l. 2. Ephemer. p. 251.*

Mira de curſoribus ſupra fidem penè velocibus proferunt Hiſtorici.

Simon Majolus κ) & *Alexander ab Alexander* λ) de *Lada*, qui horum omnium princeps fuiſſe olim credebatur, ſcribunt, *ut etiam ſupra cavum pulverem curſitaverit, ita quidem, ut arenis pendentibus nulla indicia veſtigiorum reliquerit: Liene* enim carebat. Addit præterea ex variis Autoribus alia curſorum inſolentiorum exempla, præprimis autem *Troglodytas* adducit, qui equis celeriores fuerint, *& reliquas feras quoq; curſu ſuperaverint.*

κ) *Colloquio 4. ex Solino.*
λ) *l. c.*

Polymneſtor facile leporem conſequi poterat.

Sunt etiam Novi Orbis incolæ quædam, qui cervum die integra (mirum dictu) ſequantur, donec laſſitudine feſſum capiant. Fides ſit penes Autorem. Tam agilis autem, curſu ut dictis his non cederet, nemo fiet, & licet centum *lienes* illi eximas, ignavior potius erit eô exemto, quia fluctuantes in ſanguine omnis generis ſordes *liene* abſente ritè depurari nequeunt, indeque innumera illi mala provenirent, quod ſplenetici & ſcorbutici ſuo ſubinde damno experiuntur.

Ridiculum hiſce annecto, quod vulgus noſtrum credit. Hoc, equæ quando partus iminet, ſtat à latere, omniq; curâ ac diligẽtiâ in id incumbit, ut LIENEM, in linguâ pulli poſitũ quem credit, extrahat, & *lienem* ipſum ſe extraxiſſe probat. Dein extractâ aliquâ portiunculâ carnis, *lienis* formam quam præ ſe ferre aliqui affirmant, gaudiũ gaudent, & equũ illum plurimum dein currendo valere, ſanctè teſtantur. Sed hæc ſunt ſuaves nugæ. Quando enim, obſecro *ſplen* ad linguam perveniret, cum nulla via ſeu meatus adſit. Hoc quidem non negamus, membranulam quandam

 aliam

aliam fronti adhærere, quæ copioſo humore & viſcoſitate abundat. Hæc membrana aliàs furor equarum, uno verbo, Hippomanes dicitur. Furor equarum dicitur, quia mater, dum lambiendo accipit iſtam membranam, in furorem quaſi adigitur, propter amorem ergo pullum. Si vero lambiendo iſtam membranam non ſuſcipit, non curat pullum. Unde etiam ſcorta utuntur illâ pro conciliando cujusdam amore. Sed hæc παρέργως. Nunc ad ἔργον.

μ) *in Curcul. a. 2. ſc. 1. v. 29.* Cum nunc etiam moderata ambulatiuncula *lieni* maximè ſit conducibilis, ut *Plautus* μ) vult, ita enim ille:

LIEN *directu', ſt.* PA. *ambula id* LIENI *optimum eſt.*

à quo & alii ſtare nobis videntur. Curſus namque in *ſplenis* ægritudinibus quibusdam adeò ſtrenue juvare reperitur, ut etiam *Aëtius Amidenus* ſe aliquos noviſſe referat, qui ſolis curſibus ac deambulationibus ab omni affectione ſunt liberati.

ν) *in Demoſthen.* Legimus apud *Plutarchum* ν) Orchomenium Laomedontem ad repellendum *ſpleuis* vitium ex Medicorum præceptis longis curſibus uſum, atque ita corpore laboribus ſubacto certaminibus ſe dediſſe ſacris, & inter optimos evaſiſſe dolichodeomos. *Mercurialis.* ξ)

ξ) *de Arte Gymn. l. 5. p. m. 250.*

ο) *l. 2. ad Tim. c. 25.*

π) *l. c.*

ρ) *l. 3. ſerm. 2. c. 28.*

Theodorus Priſcianus, & ante eum *Aretæus* geſtationes adhibendas voluère in ſpleniticis.

Dictus *Priſcianus* ο) ſpleniticos curſum debere appetere, prædicavit, teſte *Mercurial.* π)

Aëtius ρ) curſum *lienis* tumores deprimere ſcribit.

Hoc quando ita ſeſe habet, quod videlicet curſus *lieni* tumenti proſit, non videmus, cur tolli debeat. Hic enim quando à copioſo ſucco nimium turget, ſicque curſoribus moleſtus ſit, quia pondere ſuo vicinas quoq; partes premit & trahit, nec non ex malitia ſucci hujus & motione atq; vaporibus reſpiratio fit difficilior; vel à commotione humoris in *liene* ſtagnantis, punctio lateralis percipitur, ea propter non ſtatim eſt eximendus, cum absque vitæ jactura hoc non fieri poſſit: vel ſi fieret, cum maximo ſanitatis noſtræ detrimento fieret.

σ) *l. 3. chronic. c. 3.* Prudenter igitur *Cælius Aurelianus* σ) hac de re judicat, &

& voce quidem dictum, non autem officio completum eſſe, dicit: & ſi forte fortuna tale quid ſine Tragico ſucceſſu exſecuti ſunt, res meræ fortunæ erit, neque eorum prudentiæ adſcribendum.

Negat etiam contra *Eraſiſtratum Veſalius*.

C. Bauhinus τ) vulgo credi, ſed ſtultè *Lienem* curſoribus eximi ait.

Vidus Vidius υ) ait: *Quamvis* LIEN *non numeretur inter partes, cujus vulnera ſtatim mortem portendant, ejus tamen eſſe conditionis, ut facile ſuas ægritudines communicet ventriculo, jecinori & univerſo corpori, unde hydrops, cachexia, elephantiaſis, melancholia, aliæque graviſſimæ affectiones, maxima ex parte ad interitum perducentes, enaſcantur.*

Hanc de *lienis* exciſione opinionem *D. D. Barthol.* φ) cum Parente ſuo fabuloſam olim judicavit: cum autem de Medicorum hinc inde ſine noxa in brutis animantibus pericula facientium dexteritate certior eſſet factus, concedit, *lienem* eatenus quidem eximi poſſe, quatenus cum ſumma cautione in homine operatio peragatur: quod meritò nos in admirationem rapit.

Rectius, ut opinamur, rationibus non deſtituti, *Levin. Lemnius* χ) hanc adminiſtrationem ſine vitæ periculo non abſolvi poſſe, ſtatuit.

Impoſſibilis tamen non eſt, licet pericuoſa ſit *Lienis* exciſio.

Periculoſa eſt γαστερωτομοβκία; periculoſa etiam ἐμβρυȣλκία, ſed propterea non impoſſibilis. Nam *Magnificus D.D. Guernerus Rolfincius, Salanæ noſtræ Senior graviſſimus, Dominus Patronus, Promotor & Præceptor noſter omni cultu proſequendus*, in utraque excellens Magiſter, in aliqvot mulieribus ſumma cum laude utramque adminiſtravit, ut, ſi recte adhuc meminimus, de ſe ipſo in *diſſert. ſuis Anatomicis*, nec non de eo ſæpius citatus *Schenckius*, ψ) *itidem in hac Salana noſtra Theoretices P.P. Celeberrimus, Dn. Patronus, Promotor ac Præceptor æviternum devenerandus, colendus, ἀυτόπτης teſtatur.*

Periculoſa etiam eſt uteri reſectio, attamen non impoſſibilis

τ) *Anat. c. 43.*

υ) *l. de cur. morbi 10. c. 10.*

φ) *Cent. 4. Hiſt. Anat. 51.*

χ) *l. 12. de complex. c. ult.*

ψ) *Exerc. Anat. 9. l. 1. ſ. 2. c.*

bilis; nam prolapſum putridum circa periculum reſectum, viderunt *Rhaſes, Carpus, Mercurialis, Jo. Langius, C.Vega, Paræus, Bauhinus*, aliique, dicit *Barthol.* ω)

ω) *Cent. 2. hiſt. Anat. 95.*

Difficilis quoque eſt teſtium extractio in caſtratione & hernia inteſtinali, eam tamen impoſſibilem non eſſe, experientia comprobat.

Nos ſaltem non neceſſariam *lienis* exſectionem eſſe, credimus.

Diſſuadent etiam nobiliſſimi ejus uſus, qui in *depurando ſanguine & ventriculum fovendo* conſiſtunt. Refragantur quoque ejus vaſa, quorum mira ibi adeſt copia, & hæmorrhagiam imminentem lethalem minantur. Recuſant partes, cum quibus aliquid commercii habet, recuſant etiam nobiliſſimæ ejus actiones & uſûs, & quæ ſunt rationes aliæ. Quas ſi ſcire deoptas, evolve *Barthol.* α) qui ibi prolixior eſt in adducendis huc facientibus rationibus.

α) *l. de controverſiis Anatom. 1. de infim. ventre, quæſt. 17.*

Lien proinde ad valetudinem ſartam tectam conſervandam adeò neceſſarius eſt, ut, ſi hic bene ſeſe habeat, univerſum corpus à plurimis morbis ſit immune: ſin minus, fons & origo omnium penè malorum, quin non raro ipſius mortis cauſa ſit.

Paulus Zachias β) quoque adeo morbis obnoxium hominem inde evadere putat, ut ex hoc ſolo irregularitati facile ſubjiciatur.

β) *quæſtion. Medico-legal. t. 2. l. 8.*

Riolanus inquit: *Qui liene privantur, poſtea deterius & infelicius vivunt, quia ſanguine craſſo & impuro alitur corpus, tantum abeſt, ut ſint graciliores, & ad omnes corporis actiones agiliores.*

Quis itaque tâm facilis erit, quia ſtatuat, quod viſcus tâm neceſſarium vel ſine jacturâ ſanitatis, ut mollius, vel ſine periculo vitæ etiam, ut dicam rectius, eximi queat.

Et poſito, quod Experimenta, quæ adduximus, hoc, quod commodè exſcindi poſſet, evincerent, quod tamen nondum concedimus, cum à brutis ad hominem non valeat conſequentia, ideoque dicti Medici, ſive Angli, ſive Batavi ſint, hactenus ab homine adhuc abſtinuerunt. Feliciſſimè etiam quod ſemper cederet operatio, ſi crederemus,

non

ponimus, non parum tamen de ſanitate detraheretur, quapropter ab eâ meritò ſecedimus.

Cum etiam juxta *Celſum* γ) ii, quibus LIEN (ſubintellige in fundo) vulneratus eſt, vix ad ſanitatem perveniant, quid tandem cum illis fiet, quibus planè deeſt. γ) *l.5.c.26.*

Manet igitur ex Celeberrimorum prioris & noſtri ſeculi Medicorum ſententiâ verum ac ſtabile, LIENEM in corpore noſtro nobiliſſimi & maximi usûs eſſe, & ita ſine valetudinis detrimento neutiquam abeſſe poſſe; ſed potius ſi mala & vitia ei inſunt, convenientibus medicamentis eidem ſuccurrendum eſſe, putamus.

Hoc unicum addo, quod *Orus Apollo* δ) habet, quod ſcilicet ii, qui frequentes talismodi ſectiones inſtituunt, caneſque eviſcerant, magnâ ex parte ſplenetici fiant, rationem addit ſequentem, *quia graves ex inciſo animali vapores LIENIS valetudini inſidientur.* Sed δ) *in hieroglyph. c.39.*

\- - *riſum teneatis amici.*

Quaſi vero hic vapor, quem ex una, & item alterâ ſectione attrahimus hoc efficere valeret. Certè ſi olim Romanis caro canina nullo nocumento fuit, multo minus ſolus hic halitus corpori noſtro ſtatim erit inimicus, præcipuè in ſanis.

USTIONEM quoque in affectibus *Lienis* adhibebant Veteres, & noſtro etiam ſeculo exercitam fuiſſe ex *Hieron. Fabr. ab Aquapendente* ε) *Bauhinus* & *Mœbius* tradunt. ε) *l. c.*

De hâc *Conringius* ζ) ita diſſerit: *At uſtio quidem in magnis lienibus locum habet, unde & Hippocrati, Paulo & Albucaſi commendatur, noſtro ſeculo etiam felici ſucceſſu eſt exercita, teſte Bauhino: neque ratio abludit: ita enim quam maximè poteſt tolli aquæ copia, quâ intumuerunt.* ζ) *l. de gener ſanguinis c. 6.* η) *Phyſiol. c. 16. §. 35. p. m. 405.*

Hæc uſtio duplici fit modo, vel *externè* ſaltem in regione *Lienis*, vel *internè*, cute & muſculis remotis in ipſo *lienis* parenchymate. Exemplum utriusque invenies apud *B. Mœbium* η) θ) *T. 1. conſult. Medic. 41.*

Has, ut nocivas rejicit *Rodericus à Fonſeca* θ). Si lubet, conſulere etiam hâc de re poteris *Marc. Aurel. Severinum* ι) *Zacut. Luſitanum.* κ) ι) *in pyrotechn. chirurg. c. 43.* κ) *princip. med. hiſtor. l. 2. hiſt. 112. dub. 36.*

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM cum affectibus LIENIS p. n. concludit.

QUemadmodum omnes corporis humani partes DIs & Deabus, virtutibus, vel vitiis e. g. frons Genio & pudori: genua miſericordiæ: dextra manus fidei: aures memoriæ: digiti Minervæ venerandæ Antiquitati conſecratæ erant, ut *Alexander ab Alex.* α) & *Pontanus* β) annotarunt; ita quoque LIEN noſter Saturno ſacer erat.

α) *l. 2. dier. genial. c. 19*
β) *in progymnaſ. T. I. pr. 23. Philocal. l. 10. c. 26.*

Etenim dicto ſuo officio ſi defraudetur LIEN, omnis generis ſordes in hanc vel illam partem deducuntur, indeque varia emerguut ſymptomata. Unde *Stratonicus citharœdus* dicebat, in *Caria* ambulare mortuos, quod lienoſi eſſent omnes, & defunctorum inſtar pallerent.

Apud Romanos Harupiſces ex inſpectione avium multa, eaq; vel bona vel mala prædicebant. Hi, quando *lienem* in dextram vergentem obſervabant, ferale eſſe & peſſima indigitare arbitrabantur, de quibus prolixè *Saubertus* γ) & *Peucerus* δ) egerunt.

γ) *de Sacrificiis c. 20.*
δ) *de dimi natione.*

Nos, noſtrum LIENEM accuratiori mentis acie quando inſpicimus, omne ferè morbi genus experiri mortemque ſæpè ipſam præ ſe ferre videbimus.

Nam quicquid mali in ſe continet, illud in cæteras quoque partes, etiam maximè diſſitas, propter conſenſum, propagat, & ob communem, cum reliquis quam ſuſtinet partibus, communicationem ac operam, easdem afficit.

Tam multa, tamque periculoſa inde veniunt mala, ut vel ad *Pyrrhum* ε) quendam qui olim ſplene laborantibus non æque, ac hodie Rex Galliarum invictiſſimus contactu ſuo ſtrumas curare dicitur, medebatur, accederent, vel extra urbem in fanis *Æſculapii* aut *Salutis* incumberent, hisque formulis tanquam ſalutis patronos, invocarent: Ἐλθὲ μάκαρ σωτὴρ βιωτῆς τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων h. e. *Veni beate ſalvator præbens bonum vitæ finem.* Vel cum Romanis; *Veni ſalutis dator, valetudinum peſſimarum propulſa-*

ε) *Alex. ab Alex. Genial. dier. l. 3. c. 12.*

pulſator, prohibitior & exſtinctior. Sive cum Soſtrata apud *Terentium.* ζ)

Male metuo, ne Philumenæ magis morbus aggraveſcat:
Quod te Æſculapi, *& te* Salus, *nequid ſit hujus, oro.* η)

Optandum eſſet, ut tot malorum fomes radicitus planè exſtirpari poſſet, ſed verendum, ne flammæ oleum adderemus, ſiquidem pravi humores, ut diximus, eò abſente in cæteras partes omnes redundarent, easque inficerent.

Cum autem morbi LIENIS tàm varii ſint, præterea *Hoffman.* θ) judice, & cognitu & curatione difficillimi, nosque plerumque cauſas jam ſupra *c. 2. de conſenſu* explicaverimus, eosdem breviter nunc percurremus, ſicque lætam tandem cataſtrophen operi huic noſtro imponemus.

Proinde in res, ut vocant, ſex non non-naturales ſi peccamus, laborabit LIEN INTEMPERIE rarius quidem *ſimplici*, frequentius *calidâ*. Nonnunquam ſe *frigida* offert, tùm *ſicca*, & tandem *humida*. Ab hâc intemperie originem ſuum trahunt varia morborum genera, inter quæ OBSTRUCTIO eſt frequentiſſimum. Quando enim vaſa *lienis*, & ad hoc quæ concurrunt, meſenterii, à materiâ obſtruente turgent, juſta ſanguinis circulatio in corpore noſtro fieri nequit, ad cor itaque, à quo primum demiſſus, curſu retrogrado tendit. Cum vero ingratus hicce humor illi facile inimicus ſit, ſemper illum reſpuere allaborat, & inde in quibusdam tam gravis cordis PALPITATIO. Deinde ſi vitioſum illum ſanguinem cum ſingulis ferè membris communicavit, dolorem arthritico non abſimilem illis inducit.

Eo obſtructo præterea INFLAMMATIO & PALPITATIO ipſius *lienis* oriuntur, qualem hiſtoriam *Tulpius* ι) conſignavit, & dicit, tàm vehementem illam fuiſſe *tamq; vehementem impetum in coſtas circumpoſitas feciſſe, ut & urgentiore illo alliſu non modò doleret ipſe, ſed verberum ſonitum perſpicuè & diſtinctè exaudirent adſtantes, etiam longiſſimè ab eo remoti, ita ut non ſemel ſingula verbera, & admotâ manu etiam coram tetigerint quoscunq; ferientis lienis ictus.*

His TUMOR, ULCERA, SCIRRHUS, DOLOR PUNCTORIUS, & quod communiſſimum, commune illud Erudi-

ζ) *in Hecyr. a. 3. ſc. 2. v. 2. & 3.*

η) *Vide Alex. ab Alex. dies genial. l. 2. c. 4. Natal. Comitis MythＯlog. l. 4. c. 11. Plinii Hiſt. Natur. l. 7. c. 37. & l. 26. c. 3. præſertim doctiſſimi Meibomii diſſertat. de incubatione in fanis Deorum Medicinæ olim causâ factâ.*

θ) *l. de uſu Lienis c. 23.*

ι) *l. 2. obſerv. 28.*

torum

torum malum, AFFECTUS HYPOCHONDRIACUS ſuperveniunt. Hiſtorias & exempla rariora affectione hypochondriacâ affectorum habes apud *Th. Williſium* κ)

In ſubſtantiâ interdum lapides ſunt reperti, ut *Foreſtus, Riverius* λ) *Fallopius, Turnheuſerus & Hollerius teſtantur.*

Borellus μ) chirurgum quendam in *liene* os cruciforme reperiſſe ſcribit, exiſtimatque orificia vaſorum durefacta, quæ ob calluerant, fuiſſe.

SITUM ſi mutat, ab HYDROPE potius patitur, quàm ut hunc inducat.

Ruptis ligamentis, nonnunquam in abdomen prolabitur, & HERNIAM inde natam *Spigelius* annotavit. In qua verò abdominis parte illa acciderit, cum reticeat, quærit *Riolanus,* ν) probabiliusque *lienis* ad hypogaſtrium aut umbilicum verſus factum prolapſum, pro herniâ illum habuiſſe, tandem concludit.

Diaphragmati ſi arctius adhæret, motum ejus impedit, & DISPNOEAM inducit.

Ren ſiniſter quando nimium ſe ſe attollit, œconomiam corporis turbat, & DOLOREM NEPHRITICUM cauſatur, qui *lienem* mirè coafficit.

Ex conſenſu cum *ventriculo* VOMITUS & INAPPETENTIA VENTRICULI aderunt.

Hepati ſi feculentiorem reddit ſanguinem, illud pœnas *lienis* luat, neceſſe eſt: INTEMPERIES, HYDROPS, ICTERUS NIGER, aliaque innumera mala proſurgent.

Pancreatis morbi à vitio *lienis* qui proveniunt, varii ſunt.

Propter *coli* annexionem DOLOREM COLICUM ſæpè mentitur.

Ex vitio *lienis renes* ſæpè URINAS NIGRICANTES elaborant. Ex eodem HYDROPEM, LEUCOPHLEGMATIAM, PTYALISMUM, & SUDORES NOCTURNOS procreari, eſt in confeſſo.

OBSTRUCTIONEM MENSIUM, ΧΛΩΡΩΣΙΝ affecto *lieni* in acceptis ferunt Autores.

PALPITATIO CORDIS & VAGI ARTUUM DOLORES ab affecto *liene* proficiſcuntur.

MELAN-

κ) *in pathol. Cerebri de morbis convulſ. p. 201. 202. 203.*

λ) *Obſ. communic. 6.*

μ) *Cent. 1. Hiſtor. & Obſerv. rarior. Medico-Phyſic. obſ. 4.*

ν) *in Animadverſ. in Spigel.*

MELANCHOLIAM, MORBUM, qui ſputatur, cum MELANCHOLIA HYPOCHODRIACA conjunctum, APOPLEXIAM, MANIAM, VERTIGINEM, DOLOREM CAPITIS, & DENTIUM, ſupremo ventri vitioſus ſanguis infert. Ille enim ſangvis, cerebro qui ceſſurus erat in alimentum, purus debebat eſſe ὡς δύνατον, quantum poſſibile, ut loquitur *Magnificus D. D. Rolfincius* ξ). Nam τὸ αἷμα, ſecundum *Hippocratem* o) τὸ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ πλεῖςον συμβάλλεται μέρος συνέσιος· ἔνιοι δὲ λέγουσι τὸ πᾶν; *Sanguis, qui eſt in homine maximam partem ad prudentiam confert; quidam* TOTUM *dicunt*. Hinc à *liene* mentis acumen & ſagacitatem proficiſci vulgò fertur, & *lienoſi* pro ingenioſis habentur. LIEN enim cum cerebro per nervos intima habet commercia: quapropter ſpiritus animales & liquor nervoſus qui ſpirituum iſtorum tum pabulo, tùm vehiculo eſt, modò à cerebro ad *lienem* tendit, modo à *liene* per nervos ſuſceptum verſus ἐγκέφαλον deportat. Hic ſuccus, ſive potius ſanguis lienaris, bonus tamen, ad cerebrum delatus, ſpiritus animales exacuit, eosdem ſegnes erigit, ac ad motus pernices irritat.

ξ) *Diſſert. Anat. l. 6. c. 56.*

o) *l. 1. de morb.*

Gemini vel plures etiam ſi adſunt LIENES, peccatum erit in conformatione.

De *magnitudine* & *figurâ* quæ addamus, hîc non habemus, cum ſupra *c. 2.* jam ſatis de his ſit dictum.

Propullulant quoque propter vaſorum communicationem à vitio *lienis* FEBRES QUARTANÆ, HÆMORRHAGIA NARIS SINISTRÆ, SYNCOPE, DELIRIA, FLUXUS ALVI, & HÆMORRHOIDUM, ICTERUS NIGER, SCABIES SICCA, ELEPHANTIASIS, CANCER, CACHEXIA, ORIS ac FAUCIUM ULCUSCULA, VARICES ſub linguâ, ULCERA tibiarum, & SCORBUTUS.

Sequuntur hunc poſtremum alia quoque ſymptomata, qualia e. g. ſunt gingivarum pruritus, tumor & putrefactio, arthritis, paralyſis, atrophia, & quæ tandem ſunt alia.

Plerumque in affectibus *lienis* plurima in ægris concurrunt ſymptomata, ex quò iterum apparet, quam nobile, quamve neceſſarium ſit viſcus, ſi ſanum exiſtat.

Et

Et hæc tetigiſſe nunc ſufficiant. Si non omnia ad palatum tuum L.B. ſpinoſam & maximè intricatam hanc eſſe materiam, cogitabis. Materiæ ſiquidem gravitas, prolixitas, & tot Autorum diſcrepantes hîc ſunt ſententiæ, ut bonus Homerus hîc etiam dormitet, nedum ego artis difficillimæ tyro. Doctiora venientibus annis dabimus.

FINIS.

DUm perſcrutaris quæ ſit natura LIENIS,
Ingenii monſtras plurima dona Tui.
Perge ſenis Coi ſic perſcrutarier artes,
Sic ſtudii tandem præmia certa feres.

Honoris ergo doctiſſimo Domino Reſpondenti, Convictori ſuo perdilecto hæc appos.

Frid. Bechman, S. S. Theol.D.P.P.

PRÆ-

PRÆEXIMIO

DN. USLEBERO,

Medicinæ cultori ſtrenuo, de honeſtis conatibus gratulatur

GUERNERUS ROLFINCIUS,
PHIL. ET MED. D. PRACT. AC CHIM.
P. P. ACADEMIÆ SENIOR,
h. t. DECANUS.

GAudemus medicæ quod non perterritus artis
ſublimen adſcendis cathedram conamine fauſto.
Muſarum caſtis ſtudiis, ſacræque Minervæ
perge litare. Feres tandem præclara βραβεῖα;
& medicina tuum nomen ſuper aſtra reponet.

DIſcere difficilem qui geſtit Pœnis artem,
illum rimari condita quæque decet.

Sic

Sic USLEBERIDES noſter ſcrutatus adusque
abdita, quod clarè jam probat ipſe ſatis.

Laudabilibus conatibus præſtantiſſimi Domini Usleberi adplaudit

PRÆSES

Præſtantiſſ. atque Literatiſſ.

DN. JOHANNI Ußlebern/
Phil. & Medicin. Cultori ſtudioſiſſimo,
ex ANATOMICIS
De
LIENE
publice diſputaturo,
FELICITER!

VAna ex viſceribus ſumebant omnia Priſci:
Certius aſt (credas) dat tuus HICCE LIEN.

adcineb.

Caſpar Poſner, Natural. Prof. Publ. & Ordin.

Eximi

Eximio atq; Literatiſſimo

DN. JOHANNI Ußlebern/

Philoſ. & Medicinæ Cultori

ſtrenuo

Amico ſuo dilecto

FELICITER!

cum

publicè de LIENE diſputaret

acclamat

Johann. Chriſtoph. Hundshagen/

Logic. & Prim. Philoſoph. Prof.

Publ. Ordin.

*

* *

QUid *LIEN* extenuans artûs *ſuaviſſime AMICE*
Perbenè jam tradis: gratulor ecce TIBI.

USLEBERE, Mechaönias feliciter artes
ſectans, permagnum tractas, luſtrare LIENEM
aggreſſus, ferali infamen ſeditione,

G quam

quam facit haut rarò miſeris mortalibus eheu!
Ut prope *Cortynam*, quàm *Cnoſſum* degere præſtet,
tabificâ nolit facie qui *Caunius* eſſe,
atque inter vivos vivus-demortuus ire.
Sed nequit infectum reddi factum Omnipotentis.
Rectè vivendum, quod præſtat corpora ſana.
Tuque pium PECTUS, PATRIÆ SPES atque PARENTIS,
prome, lienoſi quicquid manus incita legit;
Utque tuos guſtemus fructûs, utq; LIENI
morboſo, pateat, quæ ſint ſcolopendria danda.

ſingul. affectûs fauſtæq; gratulationis ergo ſcrib.

M. Mich. Chriſt. Ludovici,
Concionator Aulicus Altenb.

Dum

DUm de *Splene* paras diſcurſum, gloria magna
Artis Phœbeæ, Patriæ Patrisque reſpondes
Ingenti deſiderio, & nunc gaudia menti
Affers multa meæ. Voveo: *Sint proſpe-cuncta!*

Hiſce Specimini Dn. Usleberi, Conſalini & Contubernalis quondam gratul. acc.

M. Paulus Martinus Sagittarius,
Rector Scholæ Altenburg.

USLEBERE, decus Patriæ, me vate, tenebis
omnia, quæ famam vel ſuper aſtra vehant.
Dum penetras SPLENIS vario diſcrimine cauſas,
auguror arcanas Te ſuperare vias.

Major

Major eris poſthac ſi ter-florentis
IDUMES,
Serviet æternùm, ſplendor honorq́ue, TIBI.

bonis ominis cauſa facieb.

M. Chriſtophorus Gräſe/ Sulza-Thur. Scholæ Altenb. SCRector.

MEin Freund/ der ümb Machaons Künſte ſich bemühet/
und ſucht durch fleiſſig-ſeyn die Ehre Tugend-Lohn/
Auch unverdroßnen Fleiß durch dieſe Schrifft beweiſet/
Wird Fleiß und Tugend alſo fort von ihm gepreiſet/
So wird Er künfftig ſeyn Minervens liebſter Sohn:
Den ohne Fleiß hat niemahls Ehre recht geblühet.

Dieſes ſetzte wohlmeinend

F. B.

ENDE